

Dbl

U. q. 17, 13

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA
De

DIVORTIO PROPTER INSIDIAS VITÆ STRUCTAS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE,

DN.

FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS BRAN-
DENBVRGICI HEREDE, ac reliqua,

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. SAMUELE STRYKIO,

REGIÆ MAJESTATIS BORUSSICÆ CONSILIARIO INTIMO,
PROFESSORE PRIMARIO ET FACULTATIS JURI-

DICÆ ORDINARIO,

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO DEVENERANDO,

IN AUDITORIO MAJORI

Die Maji Anno O. R. M DCCII.

Publico Eruditorum examini submittit

A U T O R

ESAIAS PAULUS MEMMINGERUS,

Ratisbonensis.

Halle, Typis CHRISTOPHORI ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.



S. IMPERII ROMANO - GERMANICI
LIBERÆ ET AUGUSTÆ REIPUBLICÆ
R A T I S B O N E N S I S,
P A T R I A E P A T R I B U S B E N I G N I S S I M I S
F E L I C I S S I M I S,

V I R I S

*Illustribus, Magnificis, Perstrenuis, Nobilissimis,
Amplissimis, Prudentissimis*

D N. C A M E R A R I O ,
C O N S U L I B U S ,
E T
S E N A T O R I B U S
R E L I Q V I S ,

P A T R O N I S A C M Ä C E N A T I -
B U S S U I S M A X I M O P I E T A T I S
C U L T U S U S P I C I E N D I S ,

Exercitium hoc suum Academicum in
studiorum suorum commendationem
debita cum observantia

D. D. D.

A U T O R .



I. N. F.

§. I.



Ivortiorum usus, si antiqua respicia-
mus tempora, ita frequenter apud
plerasque gentes fuisse cernitur, ut
fere Juris Gentium dici mereatur,
quatenus Jus Gentium pro moribus
earundem accipimus. Eundem jam
apud antediluvianos observavit Sel-
denus de jure Nat. juxta discipl. Hebr.
Lib. 5. c. 9. De Judæorum vero divortiis attestantur S. lite-
ræ; vid. Buxtorff. *integro Tr. de Spons. & Divort.* & Seldenus
in *Uxore Hebraæ*. B. Dn. Linck. *Diss. de Iſu divort. Sect. 2.* Et
Judæos hac in parte imitati sunt Muhammedani. Vid. Ant.
Geufræus in *tr. de Turc. rebus & cerem. lib. 2.* Ægyptiorum
mores non adeo ab his abhorrebant, ut eruditiores animad-
vertant, Judæos forsitan morem hunc ab iisdem vidisse & di-
dicisse. Vid. Buxtorff. *cit. loc. p. III.* Quin & Græcis familia-
ria erant. Alexand. ab Alex. *lib. 4. c. 8.* Joseph. Scaliger *Ani-
madv. ad Euseb. n. 20.* Et denique de Romanorum moribus
testes habemus leges nostras, quibus adeo indulgebatur di-
vortiis, ut etiam bona gratia vel ob levissimam causam ad-
missa fuerint. Vid. A. Gellius *Noct. Att. lib. 4. c. 3.* & B. Linck-
kius *cit. l. m. 4.* Petr. Greg. Tholosanus *lib. 9. Syntagm. c. 15.*
Arnis, de jure Connub. c. 6. Sect. 3. Sed sicuti singularium Gen-
tium

DISP. DE DIVORTIO

4 tium jura circa divortia diversa deprehenduntur, ita etiam jura nostrorum temporum divortia quidem non adeo in totum reprobant, restrinxere tamen, & sub certis tantum causis eadem admiscere. Sed non sine ingentibus Dd. dissensionibus, quae sicuti in materiis matrimonialibus sat frequentes sunt, ita quoque circa causas divortiorum mirificè sese exserunt.

§. II.

Cause differ-
sus Dd. in
causis matri-
monialibus.

Neque adeo à via aberraturi videmur, si causas tantarum dissensionum adscribamus principiis Juris Canonici, quae incaute saepè à Dd. adducuntur, & inde conclusiones efformantur, cum tamen eorum hypotheses circa matrimonii indolem merito a nostris sint reprobatae. Quando itaque præsens thema, de *dissolvendo matrimonio ob insidias vita structas*, examino secundum Dd. sententias, in diversa eosdem abire animadverto; quibusdam pro divortio pleno pugnantibus, quibusdam etiam tantum separacionem quoad thorum & mensam admittentibus; quas sententias recte dijudicare haut possumus, nisi brevibus divortii naturam, & Pontificiorum hypothesis, de separacione quoad thorum & mensam perlustraverimus. Quibus præmisitis, non adeo difficile esse arbitror, de sententiarum inter se discordantium veritate & falsitate judicare.

§. III.

Divortium
quid?

Ostendit autem Divortii derivatio ipsa ejus intimam indolem: Divortium enim a *divertere* descendit, quod propriæ secessionem a recta via facere significat, vel etiam *diversitatem mentium* denotat, ut aliqui alludunt. Barnab. Brisson. in *Tr. de Verbor. signif. verb. divortium*. Quia itaque illi, qui divortium faciunt, matrimonii dissolutionem procurant, in jure etiam a se invicem *divertere* dicuntur, i. e. discedunt, vel in diversas partes abeunt, inter se quasi divisi, Kitzel.

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

si. Kitzel. in *Synopsi Matrimon.* cap. 8. theor. 2. Gerhard. in *LL.*
Theol. de Conjug. §. 561. Schneidew. de *Nupt.* §. 4. n. 3. Et ita
de jure Romano divortium tollebat ipsum vinculum ma-
trimoniale, quod effectus divortio annexi, ut & jura varia
divortiorum, satis ostendunt, quæ explicat Henric. Brou-
werus de *Jure connubiorum* cap. 31. nec erat eo tempore co-
gnita separatio aliqua quoad thorum & mensam, prout
quidem postea ex principiis Juris Pontificii irrepsit, quam-
vis prælaudatus Brouwerus cit. tr. c. 29. n. 2. contrarium e-
vincere velit, Romanis jam cognitam fuisse ejusmodi sepa-
rationem per l. 32. §. 13. de *Donat.* inter *Vir.* & *Ux.* l. 15. ff. de
act. rer. amot. Sed vero tales secessiones, quæ apud Roma-
nos frequentes erant, nullo modo possunt comparari cum
hodierna separatione quoad thorum & mensam: illæ enim
ut plurimum siebant utriusq; voluntate commoditatis gra-
tia, privata autoritate, nec ita, ut hodie, ob sævitiam vel a-
lias causas indulgebantur, adeoque vix umbram separatio-
nis, si cum hodierna comparatio instituatur, habent, ut inde
ne quidem argumentum a pari duci posit. Din. Praeses in
not. ad *Jus Eccles.* Brunnem. L. 2. c. 17. §. 31. Arnil. de *Jur. Con-*
nub. c. 6. Seçt. 2. Joh. Georg. Nicolai de *Divort.* & *repud.* c. 5.
n. 1. Unde de Jure Rom. nullum aliud divortium erat co-
gnitum, quam quod dissolveret in totum matrimonium.
De Judæorum divortiis non est quod dubitemus, nec ibi
ulla alia separatio videtur cognita fuisse. Cum vero hodie
divortia publica merito suscipiantur & confirmantur au-
toritate, hinc mores Romanorum & Judæorum hactenus
in eo non imitamus, adeoque hoc intuitu divortia sunt ni-
hil aliud, quam *dissolutiones vinculi matrimonialis inter con-*
juges adhuc viventes, ex justa causa, publica Confessori autori-
tate factæ. Lauterbach. tit. de *Divort.* Brouwer. de *Jur. Con-*
nub.

6
DISP. DE DIVORTIO
nub. c. ult. n. 2, Kitzel. *Synopsi Matrimon. c. 8. theor. 2. & Dd.*
communiter ad tit. ff. de Divort.

§. IV.

Divortium
totalem dis-
solutionem
vinculi con-
jugalis de-
notat.

Fundamenta
hujus sen-
tentia

Explicatio
loci Matth. V

Dum itaque ad essentiam divortii requirimus dissolu-
tionem totalem vinculi conjugalis, eo ipso fortiter con-
tradicimus Pontificis, qui nullam talem dissolutionem in
conceptu divortii admittunt, quod ex professo defendit
Bellarius in lib. 1. de matrimonio c. 10. seqq. Contra quos ta-
men ex Nostrisibus plurimi jam classicum cecinerunt, uti
Beustius de Matrim. P. 2. c. 16, 20, 23. seqq. Scherzerus in System.
Theol. lib. 16. §. 18. Schilt. in not. ad Aurel. Augustin. libros de
Divort. conjug. ad Pollent. Gerhardus in Loc. Theol. de Conjug.
S. 503. seqq. Res interim salva est, & his constat fundamen-
tis perspicuis. Fundamentals locus est Matthaei V, 32. ubi
Salvator noster ita: *Ego vero dico vobis, quod omnis, qui di-
miserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam
mehari, & qui dimissem duxerit, mehatur.* Conf. Matth. XIX.
9. De quo textu ut recte judicare possumus, sciendum est,
Christum ibi reprobaesse Pharisaeorum interpretationes &
Judaeorum mores, qui divortia ex leviioribus admittebant
causis, & quia haec controversia inter Judaeos erat insignis,
dum nonnulli Schammænorum Sectam seuti solam tur-
pitudinem stricte dictam admitterent, alii vero sectæ Hil-
lelianæ dediti, quamlibet causam justam reputarent, quæ
sententia etiam recepta erat Selden. in Ux. Hebr. l. 3. c. 20. p.
329. Christum tentare voluerunt Pharisæi, cit. cap. XIX. ut
animadverterent, cuinam parti inter dissentientes faveret.
Ex quibus constat, Christum fuisse interrogatum de dis-
solutione matrimonii quoad vinculum, haec enim tantum
inter Judaeos erat cognita, & sic etiam responsio Christi de
totali dissolutione intelligenda, dum aperte libertatem di-
vortiorum ad unam causam, Adulterii scilicet, restringit.

Imo

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTA'S.

7

Imo si aliam admittamus interpretationem , dicendum fo-
ret, (quod tamen absurdum) Christum per verba: *Ego vero
dico vobis*, doctrinam suam non corruptelis & falsis inter-
pretationibus Pharisaeorum, sed Moi opposuisse, quippe
qui de vera dissolutione loquitur. Conf. Gerhard. in locis
Theol. de Conjug. §. 564. Jo. Buxtorff. de Sponsal. & divorc.
p. 2. n. 5. p. 116. Ziegler. ad Lancellot. Lib. 2. tit. 16. §. 9. verb. si
alter conjugum. Neque enim verba Christi, quæ cit. loc.
adjunxit: *qua Deus coniunxit, homo ne separet*, absolute su-
menda, quasi totalis dissolutione vinculi matrimonialis eo i-
psò sit prohibita. Ut enim Christus non absolute fuit in-
terrogatus, ita etiam nec absolute respondit, neque his ver-
bis totam decisionem questionis contineri voluit, quod ex
ulteriori ejusdem declaratione appareat. Buxtorff. cit. loc.
Id quod etiam clarissime ex rationibus decidendi patet, quæ
in hac controversia a Christo Matth. XIX. adducuntur, ubi
provocat ad primævam conjugii institutionem, secundum
quam matrimonium deberet esse indissolubile, adeoque in-
de inferri, ex lege morali omne matrimonium esse indissol-
ubile; ab hac tamen generali prohibitione excipiendam
esse causam adulterii, quod directo cum natura conjugii
pugnaret. Exceptio itaque de totali dissolutione est intel-
ligenda, quia Regula a Christo proposita loquitur de indis-
solubilitate vinculi matrimonialis. Conf. Gerh. cit. loc. Quin
quod Salvator secundum primævam illam institutionem to-
tam hanc controversiam decidens illum demum adulteri-
um committere pronunciet, qui divorcium ex causa non
approbata faciens aliam duxerit. Ex quo firmiter inferri
potest, illum adulterii reum non esse, qui ex causa probata
repudiando uxorem aliam duxerit. Vid. Lightfoot. Hor.
Hebr. in Matth. c. 5. & c. 19. p. 278. Dn. Consil. Thomas. diff. de
Crimin. Bigam. §. 40.

§. V.

Probatur ul- Hisce iisdem fundamentis Paulus *i. Cor. VII, 10.* inniti-
terius sen- tur, dum controversiam: *utrum fidelis cum infideli secure &*
tentia ex *i. Cor. VII, 10.* *salva conscientia possit in matrimonio subsistere?* decidit. Pro-
vocat enim ibi ad salvatoris nostri decisionem, uxorem a vi-
ro discedere non debere propter indissolubilitatem a Chri-
sto tantopere contra Phariseos defensam, licet vel maxime
disparitas religionis adsit, modo infidelis cum eo cohabita-
re consentiat. Adeoque hic tantum regulam à Christo da-
tam confirmat, non excludens propterea exceptionem. B.
Dn. Linckius *de usu divor.* *Scđt. 4.m. 4.* sed potius subintel-
ligens. B. Gerhard. *cit. loc. §. 570.* Id quod innuunt ipsaverba
Pauli, dum pergit *i. Cor. VII, 15.* *Quod si infidelis discedit,*
discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in bu-
jusmodi. Si enim persona deserta libera est a lege viri de-
sertoris, potest salva conscientia alii nubere, ut non adultere-
rium committat, atqui ita ratio decidendi ipsius Pauli ip-
sam supponit exceptionem Christi, *Matth. V.* declarantem.
Conf. B. Gerh. *l. c. §. 570.* Neque vero Paulus hic contraria-
tur Christo, dum etiam desertionem malitiosam pro legiti-
tima causa divortii pleni adstruit, ceu Theologi nostri &
ICti jam dudum evicerunt. Conf. Buxtorff. *de spons.* & *di-*
vort. p. 2. m. 9. p. 126. B. Dn. Brunemann. *de Jur. Eccl. lib. 2. c.*
17. §. 26. ibique Dn. Præses *in notis.* Gerh. *c. l. §. 624.* Brouwe-
rus *de Jur. connub.* *L. 2. c. 18. n. 12.*

Consensus
Primitiva
Ecclesie
cum nostra
conscientia.

Hæc quoque doctrina non abhorret a Praxi primitivæ Ecclesie, quod probat Tertullianus *libr. de Monog.* *c. 9.* verba Christi repetens, hoc modo: *Quoniam qui dimiserit uxori-rem suam, preterquam ex causa adulterii, facit eam adultera-ri.* Conf. Excellentiss. Dn. Schilter. *Histor. Jur. circa dogma Ecclesie de dissolut.* *Matrim. quoad vinculum, §. 6.* & segg. Imo & Justi-

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

& Julianus Martyr in *Apologia pro Christianis* recenset uxorem christianam pietatis causa matito infideli & flagitioso repudium misisse, adeoque divortium fecisse. Nec ipse Gratianus dissimulare hoc potuit, quum in C. *Quædam*, 19. caus. 32. qu. 7. ita inquit: *Quædam cum fratre viri sui dormierit; decretum est, ut adulteri nunquam conjugio copulentur.* Illi vero, cuius uxor supradicta est, licita conjugia non negentur; quod idem quoque ex Concilio Triburiensi confirmatur, can. 24. caus. 32. q. 7.

§. VII.

Cepit vero temporibus subsequentibus de hac doctrina dubitari, præseri cum Augustinus in *Comment. ad Mattheum*, V, hanc questionem reassumisset, pernegans illam exceptionem regulæ quoad dissolutionem matrimonialis vinculi, & potestatem alteri nubendi, quæ tamen opinio non ubique approbata fuit, declarante Dn. Schiltero c. I. §. 13. & 14. Quo facit Decretum Pontificis Zachariae, adductum a Gratiano, can. 23. caus. 32. qu. 7. ubi ita pronunciat: *Concubinasti cum sorore uxor tue? Si fecisti, neutrām babeas;* & si illa, que uxor tua fuerit, conscientia sceleris non fuit, si se contineat non vult, nubat in Domino, cui velit. Add. Dn. Linckij de Uſu divort. Sec. 3. membr. 7. Semel tamen in dubium vocata ista doctrina sensim atque sensim progressus fecit, ita, ut in Concilio Foro-Julensi sub fin. Seculi VIII. can. 10. libertas nubendi etiam post resolutum ex fornicationis causa matrimonium fuerit restricta, sc. ut vivente adultero secundæ nuptiæ minus licite judicarentur, quod & in Concilio Nannetensi confirmatum fuit. Conf. Gonzalez-Tellez in not. ad c. i. de divort. Et quum denique inter Pontificios falsa illa hypothesis, quod Matrimonium sit sacramentum, stabiliretur, accedente publica Conciliorum approbatione, tandem sublata est penitus omnis divortiorum libertas Pontificios.

B

sublata di-
vortiorum
libertas ap-
tas Pontificios.

16 160
DISP. DE DIVORTIO
tas quoad vinculum absque distinctione; cui sententia ut
colorē adderent, provocarunt ad verba ipsius Salvatoris:
Quos Deus conjunxit, homo ne separet. Quibus etiam adhuc
accesit approbatio Concilii Tridentini, *Sess. 24. de matri-
mon. c. 7.* quod anathema dixit iis, qui afferunt Ecclesiam
errare, quando docet propter alterius adulterium matri-
monii vinculum non posse dissolvi. Fuerunt tamen hac in
re cauti admodum Patres Concilii Tridentini, quod non
simpliciter anathema dicere voluerunt, qui contrarium sta-
tuunt, ob rationem, quam fusius recenset *Suavis Histor.*
*Concil. Trident. lib. 8. & ex eo Dn. Ziegler. ad Lancell. lib. 2.
t. 16. §. 9.*

§. VIII.

Pontificiorū
sententia de
divortio ina-
nis.

Quanquam vero hæc duo fulcra Pontificiorum satis
inanis sint, cum haec tenus non evictum, matrimonium esse
sacramentum, vid. Ziegler. ad Lancell. lib. 2. tit. 2. §. 1. p. 391. &
assertum Christi solum respiciat controversiam de liberta-
te divortiorum *ex iusta causa*, id quod ipse contextus in-
nuit. Vid. Buxtorff. cit. loc. p. 116. & seq. Tamen inde ori-
ginem sumvit *separatio quoad thorum & mensam*, quæ apud
Pontificios tunc adhibetur, ubi Christus divortium ple-
num concesserat. Sicuri vero non inique Lutherus *Tom.
V. Jenens. Germ. fol. 252.* hanc separationem inane animo-
rum spectrum, ein nichts / ja ein lauter Gespenst / dixerit,
cum, quatenus a Pontificiis admittitur, revera contradic-
tionem contineat, ita in nostris Ecclesiis post reformatio-
nen merito doctrina Christi de divortio pleno quoad
vinculum restituta est; remansit tamen certis in causis *se-
paratio quoad thorum & mensam*, & contra Pontificios de-
fensa, ita, ut jam communiter divortium *in totale & parti-
ale dividatur.* Retinetur videlicet separatio illa hunc ma-
xime in finem, ut sit medium temporale, quo vel majora
inter

Separatio
quoad thorū
& mensam
quomodo
retenta.

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

II

inter conjuges evitantur mala, vel adiunguntur, ut tandem in gratiam redeant. Vid. Dn. Präf. in not. ad Brunn. f. E. lib. 2. c. 17. §. 31. Linckius cit. loc. Seſt. 5. memb. 6. Brouw. de Jure Coniug. lib. 1. cap. 29. Dn. Schilter in Instit. Jur. Can. lib. 2. tit. 12. §. 10. Carpzov. Part. 2. Decis. 180. num. 5. & seqq. Joh. Georg. Nicolai de divorc. & repud. P. 2. c. 5. num. 5. Richter Com. fil. 515. Vol. II.

§. IX.

Differentiae utriusque divorcii, imprimis in causis e-
jusdem, attenduntur: Alia enim sunt causæ divorcii tota-
lis, alia partialis. Causæ divorcii totalis ut plurimum tan-
tum duas adstruuntur: Nimirum adulterium & desertio ma-
litiosa. Kitzel in Synopsi de Matrimon. cap. 8. theor. 4. Nicolai
de Divorc. part. 2. c. 1. num. 24. Carpzov. in Jurispr. Consistor.
lib. 2. tit. 11. def. 203. & seqq. Non tamen desunt, qui plures
alias æque graves admittunt, quas longa serie recenseret
Bruckner. in Decis. Matrimon. c. 16. num. 1. quibus addi po-
test Joh. Miltonus pecul. lib. de divorc. qui domesticæ for-
tassis calamitate irritatus, ut judicat Pufendorffius de Jure
Nat. & Gent. lib. 6. c. 1. §. 24. assertore conatur etiam per prin-
cipia religionis Christianæ mores intolerabiles, disparita-
tem & renitentiam animorum inter conjuges esse justam
divorcii causam, qua in sententia etiam fuit Dn. Renne-
mannus in Jurisprud. R. G. membr. 1. disput. 42. lib. 36. lit. c. d.
cujus verba integra adduxit B. Dn. Struyius Exercitat. 30.
ibid. 41.

§. X.

Equidem horum omnium sententias hic plenius ex-
cutere instituti ratio prohibet, quamvis infra quædam de
hoc doctrina adducturi simus. Dilabimus tamen eo ipso
ad quæstionem, valde inter Dd. agitatum, cuius gratia et-
iam præsens dissertatio conscripta est: Annon etiam insi-

Utrum ob
insidias vita
structas ro-
tale divorcii
admittatur.

die vita alterius conjugis structæ justam causam præbeant pro dissolvendo vinculo matrimoniali? Ubi, si Dd. evolvo, deprehendo, plerosque id negare, & tantum separatio quoad thorum & mensam locum facere, vid. Dn. Lincius de *Uſu divort.* ſect. 5. memb. 5. Carpzov. *Jurisprud.* Conſil. lib. 2. def. 217. n. 2. Beuft. part. 2. de *Matrim.* cap. 9. Wamesius *Conſil. jur. Pontif.* 549. n. 9. & seq. Brouwer. de *jure Connub.* lib. 2. cap. 29. n. 11. Arnil. de *jure connub.* c. 6. ſect. 10. n. 26. & seqq. Joh. Georg. Nicolai de *divort.* cap. 5. num. 30. & 31. Gerhard. in *Loc. Theol. de Conjug.* §. 683; Dedeckenn. Vol. 3. *Conſil. Theol.* lib. 4. ſect. 2. & ſect. 8. n. 3. 4. 5. Richter. Vol. 1. part. 5. *conſil.* 17. n. 19. Schilter. in *Reſpons. Argentor.* sub n. 81. B. Dn. Ziegler. ad *Lancell.* lib. 2. tit. 16. §. 9. verb. *thori tantum fiat separatio &c.* Conf. præjudicia *Conſistorii Hennebergensis apud Dn. Brucknerum in Decision. Matrim.* c. 25. n. 9.

Rationes du-
bitandi.

Fundamenta hujus ſententia communis adeo apud plerosque applausum meruerunt, ut vix illa in dubium vocata fuerint, ex quo factum est, ut Doctores non adeo ſolliciti fuerint in compilandis multis argumentis hanc ſententiam confirmingantibus, ceu ordinarie fieri ſolet, quoties Adversarii non adſunt. Rationes itaque magis ex mente eorum, quam verbis proferre licebit, ut etiam intactum nihil relinquatur, quod ab Adversariis probabiliter pro hac ſententia afferri posſe viſum fuerit. Et quidem (1) tum duæ finitæ cauſe divor-
tii pleni,

illæ ab omnibus ſtatim afferri ſolet ratio, quod Christus nullam aliam divortii cauſam, præter adulterium, admis-
erit, *Mattb.* 5. ſicut itaque exceptio firmat regulam in ca-
ſibus non exceptis: ita eodem modo dicendum videtur, hic Regulæ a Christo contra Phariseos defensæ ſtandum, quum insidiæ vita structæ a Christo non fuerint exceptæ a Regula. Accedit, quod Christus videatur loqui exclusive in ex-

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

13

in excipiendo adulterio, ita ut ejus sensus in hæc duo membra commode dissolvi posse videatur. 1) Matrimonium est indissoluble, nec 2) quævis causa ad id dissolendum admittitur, quam tantum adulterium. Quicquid itaque non est adulterium, illud non solvit vinculum conjugii: Atqui insidiæ vita structæ non habent rationem adulterii: E. Conf. Mentzer. Tom. 4. Disp. Marpurg. disp. 15. tb. 99 seqq. ubi particulas illas, quæ in Graco Textu habentur, παρέντος, καὶ εἰ μὴ esse exclusivas ex aliis parallelis Locis Scripturæ S. ostendit, quam sententiam etiam approbar Gerh. in Loc. Theol. de Conjug. §. 564. & Critici communiter ad Locum Christi Matth. V, 32. & XIX. 9.

§. XII.

Porro II. exceptionem hanc unicam fundari in natura ipsius conjugii afferunt, quæ adeoque non commode ad alias possit extendi causas. Ideo enim causam adulterii a generali prohibitione divorciī exceptam suisse contendit Gerh. c. 4. quod conjuges ex primævæ Dei institutio-
ne sint una caro, Gen. II, 24. Matth XIX, 6. Sed Uxor,
quæ fornicatur, fit una caro cum adultero, & maritus, qui
fornicatur, fit una caro cum scorto, uti Paulus philosophatur 1. Cor. XVII, 16. Ergo hic specialis ratio esse vide-
tur, quod non amplius maneat vinculum unitatis conju-
galis, sed nefarie per adulterium disrumpatur, adeoque adulteram posse repudiari. Inde jam inferunt quoque Dd, hoc casu dissolvi ipso jure matrimonium, non exclu-
sa tamen declaratoria judiciali sententia, quia ante omnia constare debet de veritate perpetrati criminis, nisi ipsum delictum sit notorium. Carpz. Jurispr. Consist. lib. 3. tit. 5.
def. 69. Nicolai de divorci. & repud. p. 2. c. 1. n. 65. seqq. Cum itaque adulterium tollat ipsum fundamentum matrimo-
nii, juxta Carpz. cit. loc. n. 10. & sic speciale rationem ha-

2) quod in a-
dulterio sit
ratio specia-
lis.

beat, non videtur idem dici posse de insidiis vitæ alterius conjugis structis, nam & sic censetur nihilominus adhuc durare vinculum conjugale; quum fundamentum matrimonii, quod in fide non quavis, sed *conjugali*, & ad finem matrimonii præscriptum tendente consistit, non tollatur.

§. XIII.

3) quod hæc causa videtur ab ipso Christo exclusa, Et hæc sententia (III) videtur sententiæ & menti ipsius Christi satis congrua. Cum enim ipsi controversiæ, tunc temporis valde inter Judæos agitata, proponeretur, & Pharisei in duplice errore circa divortiorum doctrinam hærerent, (1) quod divortium in lege Mosis esset præceptum, (2) quod ex lege Molis illud permitteretur ob quasunque causas: Christus hæc quoque duo membra tangit, & quoad prius membrum respondet, Mosem divortia concessisse propter Σεληνοχαραξίαν eorum, non vero præcepisse, quin potius tantum induluisse, ceu pluribus declarat Buxtorff. de spons. & divort. p. 2. §. 3. seqq. Ad alterum membrum respondet, non esse divortium concedendum ob quasunque causas, sed tantum ob adulterium. Hinc inferunt dissentientes, si Christus voluisse, ut etiam insidiæ vitæ structæ essent justa causa dissolvendi matrimonium quoad vinculum, procul dubio id quoque expressissime, cum tamen tantummodo excluderit causam adulterii. Dum itaque Christus respondit ita ad quæstionem: *Licetne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa?* simpliciter negative excepto solo adulterio; fortiter contradicere voluit Phariseis, qui admittebant etiam sine omni dubio divortia ob insidiæ vitæ structas, quum ob leviores admiserint. Ex quo probabiliter infertur, Christum etiam hanc causam excludere voluisse.

§. XIV.

4) quod si, Ex quo ulterius (IV) inferunt, quia Christus, Mosem

sem explicans, ostendit, nullum præceptum divortii propriæ dicti occurrere, sed tantum legis *indulgentiam & licentiam*; hæc vero, quum ob *εὐληπτούσιαν* demum sit indulta Judæis, h. e. ut explicat Buxtorffius de *divortiis & sponsal.* cit. loc. p. 120. ob pertinacem, contumacem obstinationem, & inflexiblem Judæorum duritatem, hinc merito fundamentum hujus licentiae omnino esse odiosum, & Deo non adeo probabile. Quemadmodum itaque, ceu ex regulis bona interpretationis constat, odiosorum stricta est facienda interpretatio, adeo, ut extensio de casu ad easum non sit admittenda, ob c. *odia*, de R. J. in 6. ita & hic dicendum videretur, omnem excludi debere extensionem. Neque enim sub causa adulterii necessario continentur insidiæ vitæ structæ, sed potius, si has pro causa sufficienti admittere velimus, opus videtur interpretatione extensiva, quæ tamen in hac materia exulat.

§. XV.

Non leve quoque (V.) præsidium pro sententia hac constituit, quod Paulus Christum explicans i. Cor. VII. 10. seqq. non faciat mentionem hujus exceptionis, sed simpli- citer asserat: *is, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem aviro non discedere*, adeoque itidem scopus Pauli est, coercere levitatem & libertatem divortiorum. Quin imo cum addat religionis disparitatem nequidem solvere matrimonium, quæ tamen tunc temporis, ubi Christiani apud omnes in odio ingenti erant, valde animos hominum a se invicem abalienabat, vide- tur dicendum idem de insidiis vitæ structis, quæ itidem abalienationem animorum quidem inferunt, sed tamen ex Pauli doctrina hec non videtur esse sufficiens causa pro dissolvendo quoad vinculum matrimonio. Accedit quod Paulus quidem malitiosam desertionem ibi admittat, & parti

§) quod nec
Paulus hujus
causæ fecerit
mentionem,
& probabili-
ter illam ex-
cluserit.

Non videntur desertioni malitiosa e quiparari post insidias vita struetis. parti nocenti facultatem tribuat aliud matrimonium contrahendi, quae tamen non deprehenditur in insidiis vita struetis. Nam illa demum sit, quoties vel localiter alter conjugum alterum malitiosa deserit, vel debitum conjugale pertinaciter denegat, quo casu demum licitum est divortium. Gerhard. de Conjug. §. 624. Haveman, Gamol. lib. 3. t. 7. §. 3. Dn Praef. Tr. de diff. spons. scđt. V. §. 8. Tales vero desertiones in insidiis vita struetis non deprehenduntur, nec per se eis annexa est malitiosa desertio, praesertim cum in tali casu soleant homines, ne suspicio insidiarum oriatur disimulationibus uti, & aliud agere, aliud vero mente concipere. Potest itaque casus dari, ubi insidia vita alterius Conjugis struuntur, ut tamen nulla subfit desertio malitiosa. Et denique si quoque adsit talis desertio, sicut divortiorum ob causam concurrentem, non ob insidiias vita struetas. Unde etiam negat Gerhard. de Conjug. §. 631. laxitiam e quiparari desertioni.

§. XVI.

Ex ratione Christi: Illud quoq; consideratione dignum esse judicant, quod (VI.) Christus Matth. XLIX. provocet ad primavam institutionem addens rationem: *Quos Deus coniunxit, homo ne separet.* Unde inferunt, in dubio magis pro matrimonio conservando, quam eo dissolvendo esse pronuncianendum, praesertim cum in hac materia occurrant plura dubia, nec Christi nec Apostolorum hac de re voluntas satis liquida sit. In dubio autem dicunt, securiorem viam esse eligendam. Unde Gisbertus Voetius Polit. Eccl. p. 1. lib. 3. Tr. 1. Seđt. 3. c. 3. qz. 10. maluit in quaestione hac ἀπέχεσθαι, quam aliquid determinare. Accedit, quod matrimonium in c. f. X. defensionem. Et re judic, ad causas favorabiles referatur, adeoque in dubio pro ejus conservatione pronunciandum sit, uti communiter ex hoc textu inferunt Canonistæ. Conf. Brück-

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

17

Bruckner. *Decis. Matrim. c. 19. §. 45.* Paul. Cypræus de *Jure Connub.* P. 1. de *Sponsal.* c. 4. §. 14. Beust. *de Sponsal. P. 1. cap. 9.* Kitzel *Synops. de Matrim. c. 4 theor. 9. lit. b.* Engel in *Colleg. jur. Can. ad tit. qui matrim. accus. poss. n. 9.*

§. XVII.

Sat speciose quoque (VII) pro hac sententia pugnat mystica illa repræsentatio unionis cum Ecclesia, quæ in matrimonio latitare creditur. *Eph. V. 42.* Evidem Pontificiorum ineptias de Sacramento matrimonii hic intactas re-linquo; vid. interim Brouwer. *de jure connub. lib. 1. c. 9. n. 345.* Gerhard. *Loc. Theol. de Conjung. §. 16. seqq.* cum solummodo mihi res sit cum nostrisibus, eorumque hypothesibus, inter quas autem, ut puto, neutiquam hæc Pontificiorum sententia erit. Interim ex hoc typo idem non raro inducere solent, quod Pontificii ex hypothesi sua de sacramento matrimonii inferunt. Neque tantum in N. T. in matrimonio latitare videtur mysterium illud unionis Christi cum Ecclesia, cum illud jam in V. T. Prophetis & Patriarchis innotuerit, quod vel Salomon ostendit, ex professo scribens Epithalamium de nuptiis inter Christum & Ecclesiam. Vid. Chemnit. in *Exam. Concil. Trid. in c. 1. de Matrim.* Id ipsum quoque evidens est ex *Jeremias III, 9.* Revertimini, inquiete, filii adversantes dictum Ichovæ, nam ego coniugio junctus sum vobis. *Conf. Hof. II, 19. & Ezechiel. XVI, per tot.* Ex quo jam inferunt duplicem matrimonii involvere respectum, (1) spiritualē, quatenus sub matrimonio inumbratur unio illa indissolubilis Christi cum Ecclesia. (2) Civilem, quatenus denotat societatem maris & fœminæ liberorum procreandorum causa institutam, *Conf. Gerhard. loc. cit. §. 33.* Ex quo jam infert Carpzov. in *Iurispr. Conf. lib. 2. def. 21. n. 7.* inquiens: *Matrimonium non est contractus tantum civilis, sed res conscientie & tale negotium, cui charater*

Ceter

(7) quod matrimonium
repræsentet
unionem
Christi cum
Ecclesia.

Ceter spiritualis est impressus, quippe fœdus matrimonii sanctissimum non tam à contrahentium consensu, quam Dei autoritate & voluntate dependet. Ex hisce suppositis jam probabilius inferri potest, neque in nostro casu dissolutioni quoad vinculum locum esse posse, propter arctissimum illum nexus, qui in matrimonio latitat, & propter respectum illum spiritualem, quem omne matrimonium præ se fert. Ex quo rursus Carpz. c. l. n. 8. infert: Est hinc matrimonium de causis spiritualibus, sive ecclesiasticis, de quibus vere ait Pontifex, ea que spiritualia sunt, & conscientiam concernunt, facilius conſtruuntur quam deſtruuntur, in c. inter corporalia, 2. X. de translat. Episcop.

§.XVIII.

Si quod matrimonium sit fœdus di-
vinum.

Ex hac hypothesi fluere videtur, quod matrimonium sit juris divini, & contineat fœdus divinum, uti loquitur Tarnovius de Conjug. lib. I. c. 86. q. 3. id quod rursus novum (VIII.) argumentum contra totalem quoad vinculum dissolutionem in casu præsenti constitutere videtur. Quam assertiōnē desumere solent ex Proverb. II. 17. Malach. II. 14. Cum enim Deus sit autor conjugii, & benedictione sua in prima institutione confirmarer, adeoque ab arbitrio humano ejus vinculum non dependeat, iniquissimum videtur, divellere illud vinculum ob causam a Deo nullib[us] approbatam, qualis est casus præsens, quem excutimus: eum tamen fœdus matrimonii sit sanctissimum, quod non a contrahentum, sed a Dei autoritate depender, ut loquitur Cypræus de sponsal. c. 13. §. II. n. 2. Quæ si supponamus, firma adversus dissolutionem totalem potest inde elici conclusio. Alioquin enim in alterius arbitrio positum esse videtur delicto suo se eximere ab obligatione matrimoniali. Quid enim facilius foret, quam fingere insidias, vitæ alterius conjugis struendas, & ita innocentem con-

jugem

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

19

jugem irritare, ut ad totalem dissolutionem agat, id quod alter forsam unice intendit. Ex quo tamen conjugale vinculum in ludibrium quoddam facile converti posuit.

§. XIX.

Ex quo jam novum (IX) contra totalem dissolutionem videtur deduci posse argumentum. Videlicet, qui fui conjugis vitæ insidias struit, ejus est intentionis, ut ab ipso liberetur, nec ita ulterius cum eo cohabitare teneatur. Jam vero si aferamus, ob insidias vitæ structas posse a parte innocentie peti totalem dissolutionem vinculi conjugalis, favore afficitur singulari ille, qui odium meruit, imo per indirectum finem intentatum asequitur, & sic ex suo delicto meliorem suam conditionem facere videtur, quod principiis juris adversatur, l. 134. §. 1. de R. J. Nē itaque liberetur ab onere alendi uxorem & aliis oneribus matrimonialibus ferendis, congruentius principiis juris videtur esse, unice hic concedere separationem quoad thorū & mensam. Quo ipso simul uxori innocentia satis consultum erit.

§. XX.

Speciem quoque (X) huic sententiae assert, quod in nostris Ecclesiis, ut supra monitum, imprimis ob hunc finem retenta sit, separatio quoad thorū & mensam, ut matrimonium saltim ad certum tempus suspendatur, & animorum reconciliatio obtineatur, & majora mala, homocidium, beneficium aliaque incommoda quamplurima, quæ exinde metuuntur, inter conjuges impedianter, salvo interim & illaſo manente vinculo conjugali, Carpzov. P. 2. def. 180. Brouwer. de jure connub. I. 1. c. 29. Nicolai de divorc. c. 5. n. 5. Schurff. cent. I. conf. 42. Havemann in Gamol lib. 3. tit. 10. §. 3. Bruckner. in decis. matrimon. c. 25. n. 6. Hinc etiam communiter à Dd. potissima ratio retentæ separationis

(9) quod nocens eo ipso finem per insidias intentionem consequatur.

mainhoq; 8
elatimq; ch
hancop; 2
et amicul

(10) In quem finem maxime apud nos retenta separatio quoad thorū & mensam.

C 2

quoad

quoad thorum & mensam constituitur nimia saevitia mariti, h. e. si ultra modum in uxorem saeviat, vel etiam mortem aut verbera atrocias (mit Arm und Bein entzweischlagen) uxori minetur, Bruckner, cit. loc. n. 15. Nicol. cit. loc. n. 24. Ziegler. ad Lancellot, lib. 2. tit. 16. §. 18. & fusiis Bröuwer de jure connub. lib. 2. c. 29. n. 11. seqq. & alii plures, quos allegat Kitzel. *Synops. de Matrimonio. c. 8. theor. 6.* It. e. qui omnes concludunt hoc in casu non plenum divortium, sed tantum separationem quoad thorum & mensum locum habere. Jam vero sine dubio ad illam saevitiam graviorem pertinent insidiæ vita alterius structæ, & in his quoque obtinetur finis, propter quem separatio in nostris est retenta Ecclesiis. Et hue spectare videtur Responsum, quod à Dn. Schiltero in Argentorat. Respons. sub num. LXXXI. adductum est, id quod illustrationis gratia integrum hic referre lubet:

Anna Margaretha C. contra M. Joh. B.

Responsum
de separatio-
ne quoad
thorum &
mensam ex
capite saevicie
& furoris.

Illa bittet separationem quoad thorum & mensam, weilen er sie nicht allein an ihren Ehren öfters angegriffen/ und eine jedermanns Hure gescholten/ sondern auch unter-
schiedlich mahl ohn Ursach so grausamlich geschlagen/dass sie sich bey andern ehlichen Leuten nicht dörffen sehen lassen:
Bey nächtlicher Weil kein Licht in der Schlaffkammer dul-
den wollen/ein Messer mit sich in das Ehebette genommen/
Ihr mehrmalen im Schloß nach der Gurgel gegrissen/und
auf kein Zusprechen weder Geist- und Weltlichen sich bessern
wollen/ auch von seinem furore nicht befreyet/ sondern allein
seine dilucida intervalla habe. Er ist der Beschuldigung
nicht abredig/vermeynet aber mit Einwendung ein- und anz-
dern liederlichen excusation selbige zu vertheidigen/ daß sie ihm aber zu geflagten übeln Tractament Ursach gegeben
habe/ist für eins nicht vermutlich / quia delicta non præ-
sumun-

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

xx

sumuntur, Sie hat firs ander mit ihren ersten Herrn eine solche friedliche Ehe besessen/ daß die geringste Klage wieder sie niemalen vorkommen/ sc. Wann dann nun ehrliche Mastronen/die sonderlich eine vernünftige/ruhige/und gute Ehe vorhin besessen/weder dergleichen Ehren-Verlegungen/noch tyrannische Schläge vertragen können/ sondern ihnen in gemeinen Rechten hiebevor erlaubt gewesen sich der gänzlichen Scheidung hierwieder zu bedienen/quia verbera ingenuis aliena sunt. l. 8. §. 2. & 3. C. de repudio. Et si cum flagellis aut fustibus sunt,injuriosa sunt, Novell. 117. c. 14. ibid. Gothofredus. Heutiges Tages aber vielmehr die separationem quod thorum & mensam begehren können: c. 8. & 13. de re-
stit. spol. c. de benedict. 32. q. 1. Sevitia, ax. 1. quia sevitia æ-
quiparatur desertioni. d. ax. 1. desertio, in m. n. Maritus.
Und einer ieden Christlichen Obrigkeit von Amtswegen ob-
gelegen/sorgfältig zu verhüten/ daß keine machinationes und
gefährliche Nachstellungen/ so irgend an das Leben/zwischen
Eheleuten verübt werden, l. ult. in fin. C. de furtis. G. Ever-
hard. 2. Consil. 32. n. 35. Separatio in m. n. vorgehen mögen.
Also halte ich das für/ daß seine verübte Schmähung/sevitia,
machinatio und Unrichtigkeit des Verstandes genugsame
Ursachen seyen/ihr mit begehrter Ehescheidung zu Tisch und
Bett zu willfahren: bevorab weil keine Besserung bey ihm
wegen seines übermachten Hochmuths zu hoffen/ nachdem
er auch zu Speyer bey seinem Rectorat-Dienst nicht verblei-
ben können: vielweniger cautionem de non offendendo zu
prästieren vermag/oder Klägerin derselben trauen darff.

SENTENTIA.

In Ehesachen Anna Margaretha C. Klägerin/ an ei-
nem/wider ihren Ehemann M. Johann B. Beklagten/ am
andern Theil/ist auf erhabene Klage/und eingezogene inqui-
sition auch übrigen Vor- und Einbringen nach mit Urtheil

C. 3.

zu recht

zu recht erkandt/das Klägerin den Beklagten zu Tisch und Bett fernrechlich bezyuwohnen umb vorgebrachter/und in der Geschicht erfundener erheblicher motiven willen / nicht schuldig/sondern von ihme zu separiren seye/als wir sie beede dann auch hiemit durch unsern Richterlichen Spruch besagter massen voneinander scheiden. Publ. den 3. Dec. 1662.

§. XXI.

n) Quod insidiaz non possint referri ad illa delicta, quae vinculum connubiale credunt.

Quidam, inter quos etiam est Arnisaeus de Jur. Connub. c. 6. S. 10. p. 324. & Kitzel. Synops. Matrim. c. 8. theor. 3. lit. g. ad naturam hujus delicti respicientes inde novum argumentum (XI) pro sua sententia constituunt. Distinguendum enim putant inter delicta directo ipsum vinculum conjugale tangentia, & inter delicta diversi generis. Illorum delictorum duo tantum admittunt, scil. adulterium & malitiosam desertionem, & haec demum solvere matrimonium credunt, quia directo delicta talia fidei matrimoniali vim inferunt, quæ tamen ratio in aliis quibuscumque delictis cessare videtur. Ex quo inferunt, neque furtum, neque homicidium, neque plagiū aliudve crimen, quod matrimonii substantia non repugnat, sufficientem causam esse, ut matrimonii vinculum intercidatur. vid. c. que sicut, 2. X. de divort. Brouw. de jur. connub. lib. 2. c. ult. n. 22. Nicol. de divort. p. 2. c. 1. n. 25. Dn. Präf. de diffensu Sponsal. Sect. 6. §. 16. Carpz. Jurispr. Conf. lib. 2. def. 203. Gerhard. de conjug. §. 682. Beust de jur. connub. p. 2. de matrimon. c. 13. Respon. Argentor. a Dn. Schiltero edita. Resp. LXXI.

§. XXII.

12) quod alius mediis imminentia ma- lo succurri posat.

Non parum quoque stringere videtur (XII.) illa ratio, quod nunquam ad totale divortium deveniendum, quoties adhuc alia remedia sufficientia supersunt, quibus imminentis conjugi malum averti poscit. Jam autem si probatum fuerit, structas esse insidias vita, judex cautio- nem

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

23

nem de non offendendo ulterius uxorem exigere debet & solet, ut eo ipso facilius obtineatur reconciliatio a parte uxoris, sævitiam ulteriore a parte mariti metuentis. Ex quo concludi potest, ne quidem statim ad separationem quoad thorum & mensam hoc casu procedi posse, quoties per talem cautionem secura fieri potest mulier. vid. Carpz. cit. loc. def. 218. n. 12. quo & directo tendunt Decreta a Carpzovio subjecta, hisq; verbis concepta sunt: *Dass Klägerin ihren Ehemann / ehe und zubor Er Ihr gnugsamem Vorstand / Sie NB. an ihren Leib / und Leben nicht mehr zugeschahen / und mit nothdürftigen Unterhalt zu versorgen / bestellet/bezuwohnem nicht schuldig.* Imo & illud quoque ulterius pater inde, quod etiam aliquando admitti possit cautio juratoria, si uxor huic cautioni fidere velit, uti judicat Carpzov. c. l. def. 219. n. 5. quo casu iterum juramentum ad hunc casum, de quo disputamus, dirigi solet, his verbis: *Ich N. N. schwere hiermit einen Eyd zu Gott / dass ich hinsilhro mein Weib N. an ihren Leib und Leben nicht beschädigen noch gefähren wolle / als mir Gott helfe durch Jesum Christum unsern Herrn.* Conf. Dedekenn. in Consil. Theol. Vol. 3. lib. 4. Sect. 2. Beust. de Matrim. p. 2. c. 9. Nicol. de divort. p. 2. c. 4. n. 41. Dum itaque per cautionem talem sufficienter securitati alterius conjugis prospici potest, adeo ut si uxor in illam consenserit, nequidem posit locum habere separatio quoad thorum & mensam. Carpz. cit. loc. def. 220. & 221. Nicol. c. l. n. 56. seqq. imo si justas dissentendi causas non habeat, cur cautionem recipere nolit, ad hoc cogi posset. Nicol. cit. loc. n. 58. Carpz. cit. loc. indeque non videtur hoc casu unquam locus esse posse totali divortio. Ex quo porro inferunt Dd. quia post decretam separationem quoad thorum & mensam ex capite sævitiae, vel insidiarum vitæ structa-

DISP. DE DIVORTIO

24 structarum, reconciliatio fieri possit, altero conjugi adfrugem redeunte & mores suos corrigente, tunc omnino revocandam esse vitæ consuetudinem, adeo ut alter coniux refractarius, causa cognita, aliquando juste ad hoc cogi possit, quod tamen amplius obtineri nequit, si dicamus, divortium plenum hic concedi debere. Carpz. c. l. def. 216. Havemann. in *Gamol. libr. 3. tit. 10.* circa finem. Inde Brouwer. de *Jur. Connub. L. 2. c. 19. n. 18.* notanter ait: *Debet in marito paritentiae esse locus, in uxore venie.* Iracondia, ultionis cupiditas, adversæ mentis pertinacia a conjugibus abesse debent. Qui correxit vitam, & emendavit mores, sufficit separations causam, ut ea sublata effectus quoque cessare debeat. Pauli preceptum est: mulier separata reconciliator viro. *I. Cor. VII. 11.*

§. XXIII.

13) Argumen-
tum ab Hiero-
logia seu benedictio sacerdotalis jam accesserit, adeo
que illud non facile dissolvi debeat. Equidem vix supicor, Dd. qui hanc sententiam fovent, ad hanc ratio-
nem aperto Marte provocaturos esse, cum in nostris qui-
dem Ecclesiis concilatum sit, benedictionem sacerdota-
lem ad substantiam matrimonii non pertinere, vid. Brou-
wer. de *Jur. connub. lib. 2. c. 27. n. 14.* Joach. Hildebrand.
*de nuptiis vett. Christian. Dn. Praes ad Jus Eccles. Brunne-
mann. lib. 2. c. 16. §. 6.* Theologi Jenenses apud Dedeken-
num fol. m. 850. ubi contra M. G. D. hoc dogma confirma-
runt. Interim tamen huic rationi ex autoritate Hiero-
logiae nimium indulgent in aliis similibus materiis, quando v. c. questio oritur de sponsalibus posterioribus, qui-
bus illa accessit, an jam sint priora postponenda? Ubi plu-
rimi ob sanctitatem & auctoritatem Hierologiae id asserunt,
quos tamen jam refutavit plenius Dn. Praes de *diff. spon-
sal.*

O B INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

25

sal. sect. 4. c. 2. §. 5. seqq. Duni iraque nimium huic tribuunt, forsan etiam hanc pro sua adducere possunt sententia.

§. XXIV.

Et denique (XIV.) Juris Canonici autoritas multum stabilivit hanc sententiam. Quemadmodum enim vulgatum Dd. assertum est, in rebus conscientiam tangentibus sequenda esse decisa Juris Canonici; ita etiam incautum ab autoritate Juris Canonici pertinet.
te saepe in matrimonialibus sequuntur illud ipsum Jus, non examinando rationes seu principia, unde ejusmodi profluxerint conclusiones. Audiamus vero decisionem Juris Canonici. Ita enim legitur in *c. 1. X. de divorciis*: *Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata est, & ipse aliquem illorum se defendendo occiderit, potest ipse post mortem Uxor, si voluerit aliam ducere: ipsa autem insidatrix panitentia absque spe conjugii slet subjecta.* Ex quo concludunt, quod quia demum post mortem uxoris aliam ducere possit, vivente ea matrimonium plene dissolutum non fuerit. Et cum Praxis Consistoriorum nostrorum Jus Canonicum hac in parte sequitur, ceu supra §. allegati Dd. evincunt, non adeo mirandum, quod plerique huic sententiæ institerint, ut fere communis facta.

§. XXV.

Et hactenus fideliter fundamenta sententiæ, quæ separationem quoad thorum & mensam tantum admitit, recensui. Quæ si examino, animadverto illa non concludere, nec evincere, quod probandum erat. Ex quo statim inducor, ut asseram, veriorem esse sententiam contrariam, scilicet dissolutionem vinculi conjugalis ob insidias vitæ structas esse omnino admittendam. In qua sententia eomagis confirmatus sum, postquam deprehendi, non paucos magnæ autoritatis Doctores a nostris stare partibus, quamvis ple-

D

Afferitur, di-
vortio totali
in hoc casu
locum esse.

vis plenius hanc sententiam non semper excusserint. Præterquam enim quod Dn. Præses de diff. sponsal. Sect. 5. §. 9. seqq. jam illam adstruxerit sententiam, alli quoque jam idem asseruere, inter quos præcipui sunt Bruckner. in De-
cis. Matrimon. c. 18. n. 20. ubi etiam in calce capitis duo præ-
judicia adducit. Miltonus lib. pecul. de Divort. Melanch-
thon de Conjugio, cuius verba exhibet Hemmingius p. 1055.
Rennemann. in jurisprud. Rom. German. memb. I. disp. 42. §.
35. sub lit. B. cuius lententiam videtur quoque approbare
Dn. Struyius Exerc. 30. th. 41. id quod clarius exprimit in
diff. de Divortio cap. 4. §. 9. conatum nempe beneficii face-
re locum divortio. Add. B. Dn. Müllerus in notis suis ad
prelaudati Autoris Ex. 48. th. 38. in fin. Boeckelmannus in Me-
ditationibus inaugural. ubi adhuc plures adducit JCTos &
Theologos, qui ob alias quoque causas, quam ob solum
adulterium & malitiosam desertionem divortium plenum
admittunt. Et quamvis B Linckius, ceu supra §. 10. dixi-
mus, alibi dissentientium castra secutus, tamen vela retraxisse
videtur in Comment. ad Decretal. tit. de Divort. §. 10.
Confer. Sacer. de Sancto coniugio P. 4. p. m. 155. & 156. Jo.
Miltoni sen-
tentiam ap-
probare.
& quomodo
Miltoni sen-
tentiam ap-
probare.

Kitzel. Synopsi Matrimon. c. 8. theor. 6. lit. I. Althus. Diceol.
lib. I. c. 74. §. 31. Prückner. Cent. 3. qu. 4. Wesemb. in Para-
titl. ff. de Matrimon. num. 11. Dedecknus Vol. III. lib. 4. Sect.
4. n. 6. & Sect. 6. n. 14. p. 356. Monner. de Matrimon. p. 5. c. 13.
Farinac. qu. 149. n. 155. Scherzer. in System. Theol. Loc. 27. de
Conjug. §. 18. aliquie, qui ab his, speciatim vero à Bruckne-
ro, allegati sunt.

§. XXVI.

Rationes de-
cidendi.

Ne vero hic solis Dd. autoritatibus pugnare velle
videamur, in medium producamus fundamenta, pro no-
stra sententia pugnantia. Ubi primo loco merito vim ar-
gumenti, quod tangit Illustris Dn. Præses de diffensu Spon-
sal.

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

27

Sal. Secl. V. §. 9. admittimus. Videlicet concedunt dissentientes, ob adulterium licitum esse divortium. Cur vero non æque ob attentatum maritidium, vel uxoricidium? Major certe ratio est in ultimo quam in priori casu. E-
 quidem adultera sit perfida, & fidem matrimonialem fran-
 git. At quæ infidias vitæ mariti struit, & perfidia & ho-
 micidii attentati rea est, quo ipso vinculum matrimoniale
 dirimere totis annititur viribus. Quænam itaque est
 perfidia major inter socios tam intime, tam arctissime
 coniunctos, quam si alterius vitæ infidetur! In solo
 adulterio quidem moëcha solum amoris petit, sed tamen
 adhuc marito suo adhæret, eumque nihilominus amare
 potest, adeoque non ita vinculum conjugale violento mo-
 do dissolvere conatur, uti quidem conjux attentans homi-
 cidium. Cum itaque major ratio sit in insidiis vita alterius
 conjugis structis, merito eodem modo admittimus in
 hoc casu divortium, quo Christus illud admisit ob solum
 adulterium. Gutierrez. *Comm. Quest. lib. I. c. 24.*

§. XXVII.

Quæ connexio ut eo clarior appareat, imprimis vi-
 dendum de natura adulterii, & cur Salvator noster impri-
 mis adulterium excepit. Ipsi Theologi, quando ad hanc
 materiam dilabuntur, argumenta ex ipsa natura adulte-
 rii petere solent, ubi contra Pontificis pro dissolutione
 totali disputant. Sic Gerhard. *de Conjug. §. 564.* ideo De-
 dum adulterium excepisse afferit, quod vinculum matri-
 moniale disrumpatur per adulterium, cum uxor, quæ for-
 niciatur, sit una caro cum adultero, & maritus, qui forni-
 ciatur, sit una caro cum scorno. *I. Cor. VI. 16.* Ex quo appa-
 ret, adulterium esse tale delictum, per quod immediate
 vinculum conjugale dirimitur, dum scil. fides conjugalis,
 per quam quis se uni saltim addixerat personæ, plane à

D 2 conju-

conjuge fornicante læditur. Neque enim unam carnem fieri cum adultero vel adultera aliud significat, quam ita dissolvere priorem unionem legitimam, ut inde nova unio oriatur. Quod ut plenius intelligatur, mysticam interpretationem simul in subsidium adducamus. Quemadmodum enim unio matrimonialis representat unionem mysticam Christi cum Ecclesia, ita non raro ipse DEUS sub divortio adumbrare mystice voluit hominum perfidiam, & discessione ab unione cum summo DEO, quo imprimis spectat Ezech. XVI. per totum. Quid autem est illud adulterium spirituale aliud, quam violatio fœderis cum DEO initi? Ergo & adulterium verum seu proprium dictum consistit in læsione vinculi conjugalis, seu actu talii, per quem dirimitur unio inter conjuges.

§. XXVIII.

Deus noluit
causas divor-
tii ad solum
restringere
adulterium.

Par ratio in
adulterio &
attentato
homicidio.

Quemadmodum itaque ex hac tenus declarata natura adulterii apparet, Salvatorem ideo ab indissolubilitate conjugii excepsisse adulterium, quia sit tale delictum, per quod immediate & proxime dirimitur ipsum vinculum conjugale, ita non putandum est, DEUM tantummodo restringere suam mentem voluisse ad adulterium, cum ratio sub conceptu adulterii latitans sit latior, quam ut solo adulterio concludatur. Quodsi jam conferamus insidiarum vitae structarum naturam cum indole adulterii, nescio an diversa inter utrumque casum possit excogitari ratio, quum adhuc durius & violentius videatur quis lædere vinculum matrimoniale per insidias vitae structas, quam per solum adulterium. Non enim alium ob finem insidias vitae conjugis alter conjux struit, quam ut velit disrumpere vinculum conjugale. Econtrario uxor, quæ fornicatur, sœpe intentionaliter non committit hunc actum, quasi in totum velit dissolvere matrimonium, sed ut libidi

dini

dini suæ tantum indulget, quamvis dissolutio matrimonii sub hoc actu contineatur.

§. XXIX.

Quo ipso tamen nos non intromittimus in illam controveriam satis arduam & agitatam tam inter Theologos quam JCtos, utrum alia præter adulterium causæ ad divorvium faciendum sint idoneæ, vel utrum Magistratus civilis alias præter adulterium divorvii causas lege publica approbare possit: Hæ enim quæstiones sunt diverse ab illa, quam hactenus tractavimus, annon videlicet sub adulterio alia similes & ejusdem generis & naturæ lateant. Nam qui priorem excutiunt & adstruunt, non tantum admittunt causas æque graves vel graviores ejusdem generis, sed etiam diversi generis, quod patet ex Rennemanni *Jurispr. Rom. Germ. m. 1. d. 42. tb. 36. lit. c. d.* ubi inter alia has causas admittit, inquiens: *Quin & bodie pii Magistratus eo, quo dictum est, modo, non tantum ex illis ante recensitis, sed etiam ex aliis gravioribus causis vel æque gravibus pro circumstantiarum sua fatione divorvia concedere queant, dummodo illæ ad furorem, morbum santicum vel alias calamitates, in quas alteruter sine culpa sua post nuptias consummatas incidit. &c.* Ejusdem sententia esse videtur Brucknerus in *decis. Matrim. c. 16.* ubi justas divorviorum causas explanat, itidemque plures admittit, sed non adhibita distinctione, utrum sint ejusdem an diversi generis cum adulterio causæ. Quamvis itaque forsan juste dubitari possit, utrum causæ diversi generis, quæ non eandem cum adulterio habent rationem, hic admitti possint, tamen de causis ejusdem generis id nemo facile negabit, cum notum sit vel ex primis Jurisprudentiæ principiis, rationem legis, non verba esse inspicienda. Neque vero nobis obstat, quod Christus tantum expresserit fornicationem, πορνείαν, nam con-

Quænam
præterea
causa præter
adulterium
hic admitt-
tendæ.

30

SAT Disp. DE DIVORTIO

gruenter volebat respondere ad controversiam sibi propo-
sitam, ubi, ut supra monitum, duas sectæ erant, Hilleiana,
quasvis, etiam levissimas, causas admittens, & Schammæ-
na, nonnisi graves & adulterium seu totalem dissolutio-
nem vinculi conjugalis inferentes causas respiciens. Quia
itaque Schammæna Schola admittebat turpitudinem pro
justa divortii causa, hinc patet evidenter Christum hanc
opinionem approbasse, & ideo adulterii seu πορνείας men-
tionem fecisse. Seldenus de Uxor. Hebr. Lib. 3. c. 22. Re-
spondet ergo Christus tantum ad illa capita, de quibus
tunc temporis controversia erat, scil. de minoribus cau-
sis: non quod unice divortia velit restringere ad adulte-
rium. Neque enim unquam dubium erat apud Judeos,
infidias vitaे structas justam esse causam dissolvendi matri-
monium, sed hoc tantum in controversiam ducebatur, an
quævis causa, an vero tantum turpitudo faciat divortio
locum.

Cur Christus
tantum ex-
cepit adul-
terium?

Ambiguitas
vocis
πορνείας

§. XXX.

Posset quidem presentia hac quoque adduci, quod
Eruditi adhuc dispergunt de intellectu vocis πορνείας, utrum
videlicet solum delictum adulterii vel concubitus illiciti,
an vero & alia majora delicta comprehendat, quæ alias in
Scriptura S. vocabulo fornicationis denotari solent. Vid.
Seldenus de Ux. Hebr. Lib. 3. c. 28. & 31. Buxtorff. de sponsal.
& divort. p. 2. p. 128. Sicuti etiam canones vocem πορνείας
late satis extendunt, comprehendentes etiam subilla Ido-
lolatriam. vid. C. Idololatra, c. non solum, c. 28. qv. 1. verum
illam controversiam lubens intactam relinquo, & industriae
Criticorum reservo. vid. interim Gerhard. de Conjug. §. 606.
Ilud tamen bene a prælaudato Gerardo cit. loc. dictum
esse puto, quædam esse crimina adulterio graviora, vel fal-
sum æqualia respectu legis divine, cum cuius norma & re-
gula

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

31

gula pugnant, alia *respectu conjugii*, cuius vinculum dirimere debent. Negat vero non de gravitate & æqualitate delictorum in priori sensu hic agi, sed in posteriori, respectu scilicet ad conjugium habito, quo refert, bestialitatem, Sodomiam, incestum. Applicemus vero jam hanc distinctionem ad nostrum casum de insidiis viræ alterius structis, & sine dubio æque grave est delictum, ac adulterium, respectu habito ad ipsum conjugium, cuius vinculum dirimere debet, id quod ex antecedentibus patet.

S. XXXI.

Neque vero admitti potest illorum sententia, quasi unice delictum contra vinculum conjugale committatur per concubitum, quo etiam Gerhardus illud restrinxisse videtur, sed etiam aliis modis illud dissolvi directo per delictum potest, quod optime observavit Paulus, admittens præterea *malitiosam desertionem*. Omnia enim argumenta, quæ vulgo pro solo adulterio, a Christo prohibito, asseruntur, commode etiam Paulo objici possunt. Unde si aliquid virium iis inesset, Paulus peccasset, quod divortium concessisset ob malitiosam desertionem. Sed optimus hic sui Magistri interpres magis ad mentem ejusdem, quam verba respiciebat, & inde jam facili negotio inferbat, sub voce *πογνέας* tanquam delicto principaliori contra matrimonium contineri delicta alia, quibus directo & immediate vinculum matrimoniale læditur, qualis etiam erat *desertio malitiosa*, quia plane hæc fini matrimoniali repugnat. Ecuad vero, quæso magis fini matrimonii repugnat, quam insidiæ vitæ alterius conjugis structæ? Admittunt Theologi pariter & JCTi, ob pertinacem debiti conjugalis denegationem concedi posse dissolucionem totalem. Gerhard. cit. loc. §. 630. Havemannus in *Gatom. Synopt. lib. 3. tit. 7. Posit. 3.* Nicolai de divortiis p. 2. c. 2. num. 53. Brucknerus aliquie a prælaudato Autore allegat*in De-*

Ostenditur
ulterius, non
solum adul-
terium pu-
gnare cum
vinculo con-
nubiali.

Insidia pu-
gnant fini
matrimonij.

32 DISP. DE DIVORTIO
in Decis. matrim. c. 17. n. 18. Cur vero hoc Dictum Pauli
eousque extendunt? Ecquid gravius est denegare debitum
conjugale, an vero plane alterius vitæ insidias struere?

§. XXXII.

Insidiae semper inferre
videntur de
fertionem
quandam.

Quæ meditatio me dicit ad aliud argumentum a *desertione malitiosa* petitum. Concedunt hactenus illam dissolutionis totalis causam justam esse. An vero insidiae vitæ alterius conjugis structæ possunt esse unquam sine malitiosa desertione? Id equidem non puto. Theologi enim nostri pariter ac JCTi duplificem constituunt malitiosam desertionem, *Localem* alteram, alteram *non Localem*, quæ magis animorum est; Ad hanc sine dubio non nuda denegatio debiti conjugalis, sed etiam insidiae vitæ alterius conjugis structæ referuntur. Utrobius eadem est ratio, quam bene exponit Brucknerus in *decis. Matrim. c. 18. n. 16.* inquiens: *Paulus rationem non ponit in infidelitate, sed in temeraria excusione jugi conjugalis.* Et *desertor est, cui, ut Ap. svolv. loquitur, non placet coabitatio, i.e. qui individualm illam vitæ consuetudinem penitus abrupt.* Cui vero magis displicet coabitatio conjugalis, quam ei, qui insidiae alteri struit? *Quis magis excutit jugum connubiale, quam uxor, quæ venenum preparando propinandoque morti destinaverat maritum?* Conf. Dn. *Præses de diff. sponsal. secl. V. §. 9.* ubi assertit, Gutierrezum *Canon. Quæst. L. 1. c. 24.* vim hujus argumenti agnosceré. Unde non raro JCTi pariter ac Theologi malitiosæ desertioni solente æquiparare insidias vita structas, vid. Bruckner. *cit. loc. n. 25.* Philippus Melanchth, *de Conjugio*, cuius rationes quidem adducit Gerhardus *de Conjug.* §. 63. Sed cum e-jusmodi epicrisi, ut tandem vel invitus *in fin. cit. §. fateri necessum habeat, si sevitia sit plane incorrigibilis, eam desertioni non immerito comparari.* Eundem fere in modum Har-

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

35

Harbardus de conjugio, p. 93. relatus a prælaudato Gerhardo philosophatur: *Quando, inquiens, alter Conjugum insidias vita alterius struit, vel Leonis instar inhumana crudelitate comparem tractat, nec admonitus corrigitur, tum quia impedit necessaria] pietatis officia, Magistratus autoritate coercendus est, vel separatione prius ad tempus facta emendatio & reconciliatio tentanda, vel si in immanitate pertinaciter perseveret, persona innocens intolerabili jugo liberanda est, ne justo dolore fracta, aut indignatione superata abiciat pietatis exercitia, & aliquid injuste ac Christiana vocatione indignum faciat.* Confer. Dn. Linckius ad Decret. tit. de Divort. §. 10. in f. Dn. Thomafius Jurisprud. div. lib. 3. c. 3. §. 69. seqq. Pruckner. Cent. 9. qv. 4. Gisb. Voetius in Polit. Eccles. p. 1. lib. 3. tratt. 1. sect. 3. c. 3. qv. 10. Beza de repud. & divort. p. m. 201. ubi paria esse dicit, discedere ab aliquo, & minus vel vi aliquem a se abigere. Plenius id declarat Kitzel Synopsi Matrim. c. 8. Theor. 6. lit. 1. p. m. 249. inquiens: *Omnimodam Kizelii sententia conjugum separationem seu plenum divortium hisce in casibus decernerem, si ex omnibus circumstantiis, puta personarum, structarum insidiarum vitæ, sexvitæ & propterea etiam irrogata pœna qualitate, nec non etiam lapsu temporis, Judicis itidem arbitrio estimandi, appareat, quod nulla amplius spes reconciliationis vel redintegrationis istius matrimonii superfit, & pars innocens parti nocenti propter capitales inimicitias non amplius tuto & sine vita periculo credi posfit, tum quod isto casu, propter denegatum debitum conjugale divisionemque unitatis carnis & individue vita consuetudinis, nocens persona pro desertrice haberri posfit.*

§. XXXIII.

Ipsa quoque ratio separationis quoad thorum & mensam, Separatio quoad thorum & mensam, quoad thorum & mensam
quatenus in nostris retinetur Ecclesiis, suppeditat argu- rum & me-
mentum pro totali divortio, ceu jam docuit Dn. Praeses ^{Præses} ^{Præses} ^{Præses} ^{Præses}
^E ^{de diff.} ^{et medium} ^{inidoneum.}

DISP. DE DIVORTIO

34
de diff. sponsal. Sect. V. §. 9. ostendens parum ex tali séparatione commodi habere innocentem maritum, quem venenum præparando propinandoque morti destinaverat uxor, si ingratissimam adhuc alere teneretur, & ipse interim in cœlibatu vivere sine ulla matrimonii adjutrice compelleretur. Videlicet retinetur & adhibetur in nostris Ecclesiis tunc demum separatio temporalis, ubi adhuc spes supereft, conjugem nocentem ad meliorem frugem redditurum. Ast vero nescio, an si semel insidiæ vitæ alterius structæ fuerint, innocentì conjugi consulendum sit, ut ad conjugem priorem revertatur, præsertim cum nec cautio hic tollere posit justum timorem, quem semel innocens concepit, & non raro homines aliud agere, aliud simulare soleant. Posset enim uxor, quæ pertæla est sui mariti, & jam novas nuptias animo concepit, simulare, pœnitentiam, & ita sua simulatione maritum cogere, ut cum ea in gratiam & pristinam cohabitationem rediret. Quo casu certe noua occasio ipsi daretur se per novas insidias librandi a Marito, & ita novas ambiendi nuptias, quas ambire non poterat, quamdui tantum separata erat ab eo quoad thorum & mensam. Ergo inutile & insufficiens merito hæc separatio in hoc casu est, præsertim cum uxori insidiatrici semper obster præsumptio juris, vi cuius semel malas, semper præsumitur talis in eodem genere delicti. Si itaque nequidem tutori, fraudulenter tutelam administranti, ulterior administratio concedenda est, et si satis offerat, quia satisdatio ejus propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari pupilli sui facultatem præstat, juxta §. 12. *J. de suspect. Tut. l.s. & 6. ff. eod. l. fin. c. in quib. caus. in integr. restit. necess. non est.* Quomodo potest maritus adigi, ut ulterius cohabiter uoxi insidiatrixi, si satis offerat, cum hic non agatur de dispen-

Cautio hoc
casu insuffi-
ciens

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

35

pendio fortunarum, sed de vita periculo, cui se necessario exponit, qui cum tali uxore denuo se conjungere debet. vid. Kitzel. *synops. matrim. c. 8. Theor. 6. lib. 1. ubi p 25.* no- tanter ait: *persona innocens ad redintegrandum tale matri monium, in quo secundum verba Imperatoris nostri in l. quis quis, C. ad L. Jul. Maj. vita futurum est supplicium, & mors solatum, adigi non debet, cum conjux innocens semel interem- tus a nocente per cautionem ab ipso presbitam, & juris reme dia resuscitari & in vitam restitui nequeat, nec propter dotum & contumaciam, imo intentatum parricidium personæ nocentis conjugi innocentis, prohibendo ipsi ulterius matrimonium, la- quei conscientie injiciendi sunt. &c.*

S. XXXIV.

Non leve quoque argumentum pro hac sententia deduci potest ex *ipso delicto* ab uxore insidiatrice commisso. Videlicet ex Jure civili notum est conatum occidendi, adeoque & insidias vitæ structas ordinariam poenam meruisse, l. 7. 8. 9. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 1. §. 5. ff. eod. qui enim alterius vita insidiatur, parum distata Latrone, qui etiam ex solo apparatu, attentata alterius invasione, pro tali haberur, dum a parte ipsius nihil superest, quominus delictum perfectum reputerur. P. Muller. *ad Struv. Ex 48. th. 50 lit. c.* Cum enim talis insidiatrix uxor parum distet a vero homicida, quamvis hodie extraordinaria tantum poena locum habeat, Carpzov. *Pr. Crim. p. 1. qv. 2. n. 54.* merito quoque dissolutio matrimonii concedenda; quantum enim in ea fuit, dissolvisse jam videtur vinculum matrimoniale. Imo quamvis hodie poena sit extraordinaria, tam non dubium, quin ad fustigationem quandoque deveniri posit: Num vero dicemus maritum innocentem hoc casu sequi teneri uxorem perfidam & insidiaticem? An vero propter alterius delictum in perpetuo vivere co-

Novum ar-
gumentum
ex ipso deli-
cto defunctū,
quia etiam o-
lim solum at-
tentatum ho-
micide punitur

libatu? Ubi certe poena derivaretur in ipsum maritum, propter cuius favorem tamē uxor punitur. Confirmat hoc ipsum Brucknerus in *decis. Matrim.* c. 15. n. 27. duobus casibus, quibus uxores vitæ maritorum insidias struxerant, & venenum cibo miscuerant, ubi cum res successu caruis-set, fustigatio cum perpetua relegatione beneficis dictata fuit, divortiaque plena quoad maritos decreta, hisque nova inire conjugia permissum.

§. XXXV.

Separatio
quoad thorū
& mensam
non est dilata-
tanda.

Denique addi potest & illa ratio, quod separatio quo- ad thorum & mensam sit merum inventum Pontificium, inanibus superstructum fundamentis. Quantum itaq; fieri potest, merito ab hoc medio, quod in nulla ratione genuina fundatur, abstineādum, ad evitandas illas male cohærentes conclusiones, qua exinde sequuntur. Ostensum jam supra est, quid de hoc genuino Pontificiorum parti judicaverit Lutherus. Idem alii quoque cordatores non dissimulant. Sane in eo omnes convenient, non facilem debere esse judicem in admittenda hac séparatione, ne membra Christi, utor verbis Brouweri de jure connub. lib. 2. c. 29. n. 7. exponantur insidiis Satanae, tentantis, quos longius, quam ut jejuniis & orationi vident, sejungit tempus, 1. Cor. VII, 3. Fragilis enim est humana natura, & inseparato matrimonio ad libidinem precepit.

§. XXXVI.

Responsio ad
dubitandi ra-
tiones.

quatenus
Christus
Matth. 5, 10.
quatur ex-
clusivæ.

Ne vero aliquod dubium, quo se dissentientes mu- nire possint, amplius superfit, opera pretium esse duco, il- la qua supra recensita sunt, penitus jam removere. Et quidem primum dubium, in §. II. tactum, non adeo magna laborat difficultate. Provocatur ibidem ad exceptionem Christi, solum adulterium excipientis. Sed quidem hacte- nus non probatum est, Christum loqui exclusive. Respon- siō e-

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

37

Si enim Salvatoris interpretanda est ex controversia ipsi
formata. Querebatur videlicet, an ob quamvis causam li-
ceret divertere ab uxore, ut videbatur in Legibus Mosai-
cis statutum? Et ad hoc respondebat negative, excipiendo
adulterium. Non voluit autem Christus excludere cau-
fas majores vel æque graves ejusdem generis, de quibus non
erat consultus, sed minores tantum apud Judæos usitatos
removebat. Unde si de hoc casu interrogatus fuisset Sal-
vator, ubi major malitia, quam in adulterio: idem haud
dubie respondisset. Dn. Præses de *dissentio Sponsal. Seçt. V. §. 10.* Et posito (id quod tamen in suspenso relinquo) parti-
culas illas: παρεντος, ei μη esse exclusivas, tamen illæ tan-
tum excludunt ea, qua sunt diversi, non qua sunt ejusdem
generis. Ast vero jam in rationibus decidendi probatum
est, insidias vitæ structas proxime convenire cum malitio-
sa desertione, & adulterio. Equidem alii quoque respon-
dent, Christum privatis pro libitu ex quibuscunq; causis ^{An Magistra-}
frivolis divertia instituentibus, non Magistratibus pro ex-
gentia necessitatis civium causas divertiorum determi-
nantibus regulas præscribere voluisse. Bruckner. in *Decis.*

*tus plures
causas legib⁹
admittere
possit?*

Matrim. c. 16. n. 24. Verum id difficulter admittitur a Theo-
logis nostris, vid. Gerhard, *de Conjug. §. 605. seqq.* imo nisi
assertio hæc ad certas limites reducatur, evenire inde pos-
set, ut contra mentem Christi mos veterum Judæorum,
quascunque causas admittentium, introduceretur. Ergo
concludimus posse Magistratum admittere causas æque
graves vel graviores, quod etiam videntur innuere verba
Christi *Mattb. V, 32.* παρεντος λόγις πορνείας, excepta causa
fornicationis. Λόγιος autem in genere significat propor-
tionem, ut adeoque non solum adulterii crimen, sed etiam a-
lia huic criminis æqualia & proportionata, vel eodem et-
iam majora flagitia divertii causas constituant. Et ita jam

E 3

quoque

38 38 DISP. DE DIVORTIO

quoque exinde interpretationem accipit *Mattb. XIX, 9.*
Neque hanc rationem evellunt, quæ contra regerit Gerh.
cit. loc. §. 606. nam supponit semper, Christum loqui sim-
pliciter & absolute; Imo exclusive & exceptive, adeoque
vocem τὸ λόγον ita intelligi non posse; nam jam assertum
est, Christum respexisse in responsione ad statum Judæo-
rum, ex quavis levissima causa divortia admittentium.

§. XXXVII.

An & quate-
nus sit speci-
alis ratio in
adulterio?

Magis solvit
fidem, qui in-
fidias fruſt,
xu conjugali liberet.

Alterum dubium in §. XII. sat speciosum est, vide-
turque illa, quæ in §. antec. sunt dicta, enervare. Verum
regeri potest, Christum in adulterio utique respexisse ad
dissolutionem unionis conjugalis, quæ in adulterio oc-
currit; verum illa dissolutione etiam in insidiis vitæ structis
deprehenditur, & adhuc evidenter, quam in desertione
malitiosa, ubi tamen ex doctrina Pauli ob eandem ratio-
nem divortium admittitur. Quæ enim maritidium in-
tentat, illud unice agit, ut matrimonium dirimat, & se a ne-
quam qui est xu conjugali liberet. Quamvis vero non semper consilio
adulteri respondeat eventus, sufficit tamen tale delictum hic ab uxore esse commissum, quod immediate tangit vinculum
inter coniuges, & sic cohabitationi contrarium est. Ex-
pressius dici potest: uxor, quæ adulterium committit,
tantum solvit fidem conjugalem: quæ vero marito mor-
tem intentat, illa non tantum vinculum illud speciale in-
ter coniuges tollit, sed universale etiam, quo homines na-
tura conjunxit, & propter quod nefas esse dicitur in *I.3. ff.*
de J. & J. hominem homini insidiari.

§. XXXVIII.

Responsio ad
tertium du-
biū

Hisce suppositis jam per se corruit dubium tertium
in §. 13. Neque enim verba neque mens Christi videtur
excludere voluisse hanc divortii causam, de qua agimus.
Et nescio sane, quomodo illi, qui adeo strictissime verbis
Christi

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

39

Christi inhærent, & illa simpliciter *exclusiva* esse jubent, sicut Paulum conciliaturi cum nostro Salvatore. Si enim tantum & unice admittere voluit adulterium, etiam excludere voluisse creditur malitiosam desertionem. Sed falsum esse posterius, ipsi dissentientes fatentur. Ergo etiam prius. Neque vero admitti potest, quod dissentientes supponunt, quasi Christus etiam comprehendenterit, hanc causam de insidiis vitæ structis: nam hæc causa non erat inter Judæos controversa, sed solummodo sententia Sectæ Hillelianæ, que levissimas causas admittebat.

§. XXXIX.

Ad rationem dubitandi quartam in §. 14. recte enucleandam præmittendum est, Salvatorem sermonem suum non opponere Moysi, sed Phariseis, qui verba Mosis in alium sensum detorserant. Quum etiam Pharisei arbitrarentur, a Mose præceptum esse adulterium, hinc tandem respondebat, Mosen propter duritiam cordis Judæorum permisisse, dimittere uxores, ceterum, pergit, a principio non fuit ita: Buxtorff. de Sponsal. & divort. p. 2. §. 5. nro. Dicit itaque ipsa divortia esse contra intentionem primævam Creatoris, matrimonium institutis, introducta tamen propter σκληροποιίαν, h.e. quod adeo duri sint corde homines, & amorem & pacem deserant unionemque, quam inter omnes homines DEUS constituit. Quamvis itaque non negemus inique fecisse Phariseos, quod legem Mosis adeo extenderint ad quasvis causas, etiam levissimas; tamen id minime admittere possumus, Mose etiam non intelligi debuisse de hac causa gravissima, si insidias uxoris mariti struxisset, & vice versa. Unde tandem ita concludimus: ob quamcunque causam Moses concessit divortium, de illa causa etiam Christus est interpretandus: Atqui ob graviores causas Moses concessit divortia,

Respondetur
ad quartum
dubium.

Moses etiam
intelligen-
tius de insi-
diis vitæ stru-
ctis.

40 DISP. DE DIVORTIO.

Vortia, quod & recte admittet Schola Schamiaeana, cuius sententiam approbat Christus. Selden. *de Uxor. Hebr. Lib. 3. c. 20. p. 329.* Ergo etiam Salvator de illa est interpretandus. Unde non tam in hoc nostro casu fit interpretatio extensiva, sed potius declarativa, dum saltim ex Moses lege interpretatio instituitur, quomodo Christus sit intelligendus. Certe si hoc argumentum de odiosis restringendis aliquid in recessu haberet, valeret etiam contra Paulum, ob desertionem malitiosam admissentem divor-
tium.

§. XL.

Respondetur
ad quintum
dubium.

Sed pergo ad quintum dubium ex doctrina Pauli pectitum, qui etiam hujus causæ nullam facit mentionem. Si scopum Pauli *1. ad Cor. VII.* intueor, animadverto illum tantum fuisse interrogatum de illa quæstione, utrum diversitas religionis solvat matrimonium? Et hanc quæstionem enucleat ex doctrina Salvatoris nostri negative, modo infidelis consentiat habitare cum fideli. Adeoque non mirandum, quod nostri casus non mentionem fecerit, quippe de illo nec controversia erat, nec interrogabatur.

Argumentum
a diversitate
Religio-
nis ad nostrum
casum non
stringit.

Cæterum consequentia hæc: *Si nequidem diversitas reli-
gionis solvit vinculum matrimoniale, sequitur, quod etiam non
solvant idem infidelis vita alterius conjugis structæ, merito ne-
gatur.* Neque enim 1) verum est diversitatem religionum inducere animorum abalienationem, id quod exempla & V. & N. Testamenti testantur, & Experiencia nostrorum temporum corroboratur. 2) Paulus etiam in decisione hu-
jus questionis addit hanc limitationem: *Si hic (infidelis)* *consentiat cohabitare cum ea,* *quod tunc uxor fidelis non* *debeat virum dimittere, quoniam sic nullum impedimentum ponitur consuetudini coniugiali.* 3) Non quævis etiam abalienatiq; animorum inducit divoritum, sed talis,
qua

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

41

quæ finem tollit matrimonii, & vinculum dissolvit, qualis deprehenditur in malitiosa desertione, & insidiis vita struatis. Quod ultimo demum additur, insidias vita struas non necessario comprehendere desertionem malitiosam, illud in rationibus decidendi jam satis declaratum & expressum est. vid. §. 32.

§. XLI.

Sextum argumentum in §. 16. quod a dissentientibus adducitur, petitur ex verbis Christi: *quos DEUS conjunxit, homo ne separet.* Sed nec illud nobis obstat: Respondeat pro nobis Jus Canonicum in c. 18. c. 35. q. 2. ubi ita: *Quos DEUS conjunxit, homo ne separet.* *Quaris quomodo? Subaudi violenter sine lege, absque ratione, quos Deus conjunxit, homo non separet.* Non enim homo separat, quos paxna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat. Unde quoque appareat saep in abusum trahi hoc Christi dictum. Sæpius enim in dubium vocari posset, an hos Deus conjunxisset, ubi ex eventu apparent, conjugem conjugi insidias struere, litigiis & rixis mutuis omnem vitam a- gere, & ita minime unionem servare, quam Deus in hac societate adeo inculcaverat. Unde nescio, an inique dixerit nostrorum Theologorum quidam: *Quos Diabolus conjunxit, homo separet.* Conf. Buxtorff. de divort. p. 118. docens noluisse Christum per hoc assertum licentiam & facultatem divortiorum omnem tollere, sed duntaxat arbitrariam ac privatam illam Judæorum repudiandi & dimittendi uxores consuetudinem, de qua Pharisei quæsiverunt. Deinde quod additur in eod. §. 16. matrimonium esse favorable, adeoque pro ejus conservatione in dubio esse pronunciandum, id a nobis non quidem negatur, sed non tamen hunc habet sensum, quasi ob justissimam causam non possit pro dissolutione pronunciari, sed potius, ne-

F

teme-

Respondet
ad sextum
argumentum,

quomodo in-
telligendum
dictum Chri-
sti, quos Deus
conjunxit,
homo ne se-
paret

temere quid fiat contra matrimonium, quæ temeritas tam
enim hic abest. Imo etiam securitas vitæ adhuc est favo-
rabilior, cui omnino consulendum: quod aliter fieri com-
mode nequit, nisi per dissolutionem totalem matrimonii.

§. XLII.

Responsio ad argumentum septimum.
Mystica repre-
sentatio-
ne matrimo-
nii.

Septimum argumentum in §. 17. ducitur a mystica illa
repræsentatione Christi cum Ecclesia. Quemadmodum
Judicium de vero Pontifici exinde matrimonium in classem Sacra-
mentorum retulerunt, & causas matrimoniales spirituales esse
voluerunt, ita cavendum maxime, ne inde quid inferamus,
quod papalibus principiis, proprius, quam vero intellectui
hujus mysticae interpretationis accedit. Et sane Carpzo-
vium, cuius verba in cit. §. 17. relata sunt, hanc in abusum
traxisse docuit jam Dn. Praefes in *tr. de diff. sponsal. sect. 3.*
§. 18. quasi videlicet per hoc negotium character quidam
spiritualis impressus contrahentibus sit, quod nihil aliud est,
quam Pontificiis indulgere, matrimonium esse sacramen-
tum. Et ut proprius ad rem accedamus, illud quidem ex
hac mystica repræsentatione sequitur, *difficiliter* ad disso-
lutionem matrimonii esse progrediendum, non vero plane
non esse dissolvendum matrimonium, alioquin enim ne
quidem ob adulterium & malitiosam desertionem esset dis-
solvendum matrimonium. Quemadmodum itaque pec-
cata dissolvunt unionem inter Deum & homines, juxta as-
sertum Prophetæ: *Eure Sünden scheiden Euch und euren
Gott voneinander*; ita quoque tale turbidum & disso-
nans matrimonium, ubi alter alteri insidias struit, non po-
test amplius repræsentare illam indissolubilem unionem
Christi cum Ecclesia.

§. XL.

Respondetur
ad argumen-
tum octavum

Octavum argumentum in §. 18. inde desumptum, quod
matrimonium sit foedus Dei, & constet autoritate divina,
ex ha-

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

43

ex hac tenus dictis jam pariter facile dissolvitur. Non negamus hic ipsam hypothesin, sed negamus tantum conlusionem inde deductam. Hoc videlicet tantum exinde sequitur, in arbitrio hominum non esse, illud vinculum temere dissolvendi, quod constat auctoritate divina; at vero hic nulla temeritas adest, ubi insidia vita struuntur. Satis convenienter loquitur Sarcerius, von Heil. Ehestand P. 4. p. 158. So kan ein jeglicher vernünftiger Mensch wohl gedenken / daß Gott die Ehe eingesezt habe zu Ehren und guten dem Menschen / und nicht zu Schanden und seinem Verderben. Darumb die / so in keinem Stükken dem gedrängtem Chemischen zu Hülffe kommen / und die Ehescheidung überein in keine Weiß noch Weege zu lassen / thun gleich wie die Pharisäer / die von wegen des Gebots vom Sabbath / dem Buchstaben nach / dem Menschen zu grunde und zu schanden gehen ließen.

S. XLIV.

Ad nonum argumentum in §. 19. facilis est responsio. Quamvis enim uxor maritidium intentans forsitan per hoc dissolutionem finem suum, propter quem insidias innocentis marito struxit, assequitur; hoc tamen tantum sit per indirectum & accidens. Neque enim ideo dissolvitur matrimonium, ut uxor insidiatrix favore afficitur, sed ut innocentis marito consulatur. Hinc & regula juris in §. 19. adducta, quod nemo ex suo delicto lucrari debeat, ita declaratur, ut procedat, quatenus directo quis lucretur ex delicto, per accidens enim bene fieri potest, ut quis lucrum ex delicto capiat. l. 5. §. 1. ff. ne quis cum, qui in jus voc. vi exim. §. 1. de vi bon. rapt. Barbos. in Thesaur. Lot. Commun. L. 1. c. 17. ax. 3. & Lib. 4. c. 13. ax. II.

Responsio ad
nonum Argu-
mentum.

S. XLV.

Decimum dubium in §. 20. tactum per se jam corrigit ex

Resp. ad arg.
decimum.

F 2

44

DISP. DE DIVORTIO

it ex iis, quæ dicta sunt in §. 33. ostensum ibi, separationem
quoad thorum & mensam non esse modum idoneum, ut
securitati innocentis conjugis satis consuli possit. Et sane
oppido falsum est, quod in nostris Ecclesiis propter insi-
dias vita structas retenta sit separatio quoad thorum &
mensam. Confundunt enim, qui talia assertunt, simplicem
sævitiam cum ejusmodi sævitia, quæ connexas habet insi-
dias, quibus vita alterius conjugis periclitatur. Priori casu
haec tenus admittimus separationem, & concedimus ideo
retentam esse illam, cum sperari adhuc possit morum e-
mendatio, & obtineri animorum reconciliatio. Vid. Gerh.
de Conjug. §. 61. Beust. P. 2. de Matrim. cap. 9. Nicolai de di-
vort. c. 5. Ast ubi semel insidia vita sunt structæ, nunquam
conjugus innocens securitate plena gaudebit, licet vel ma-
xime nocens cautionem prestiterit.

§. XLVI.

Respondetur
ad undecimum
remissive.

ad duodeci-
num.

Evidem ut ad argumentum undecimum in §. 21.
propositum respondeam, necesse esse non puto, cum jam
aliquoties in antecedentibus demonstratum sit, insidias vi-
tae structas æquiparari desertioni, & æque tangere vincu-
lum conjugale, quam adulterium. Quamvis itaque cæte-
ra delicta forsitan non solvant matrimonium, diversa tamen
est ratio in mariticio intentato. Unde statim pergo ad
dubium duodecimum in §. 22. Verum & hic quadrabit ea-
dem responsio, quæ formata est in §. antecedente. Neg-
amus enim adhuc, sufficientem esse hoc casu cautionem ad
avertendum ab innocentie coniuge omne vitæ periculum.
Operatur quidem aliquando cautio illud, ne maritus sævi-
at ulterius in uxorem, eamque non adeo dure tractet; ve-
rum a simplici sævitia argumentum ad insidias vitae structas
non valet. Confer. §. 32. Et durum sane foret, si maritus
innocens compelli deberet ad cohabitandum rursum uxo-
ri, &

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

45

ri, & se ita de novo exponentum periculo, ex illa sola ratione, quod cautionem præfare parata sit, cum tamen cautio malevolum ejus animum non mutet.

§. XLVII.

Non puto autem dissentientes tuto fidere posse dubio decimo tertio, ab Hierologia petito, quia apud omnes in confessio est, illam non esse de substantia matrimonii; adeoque transeat illud quoque dubium, & demum *ultimum* prodeat, quod ab autoritate Juris Canonici petitum. Verum opponamus Juri Canonico Jus Civile. Nam in *c. 1.8. C. de repud.* plenum divortium conceditur ob insidias vitæ structas. Et deinde jam ostendit Dn. Præses, *de dissensu sponsal. Sect. V. §. ii.* textum in *c. I. X. de divort.* ab improba Pontificiorum manu esse corruptum, integrum vero retentum in *c. si qua mulier, 6. c. 31. q. 1.* ubi ex Concilio Wermerensi sive Wormatiensi huc translata verba sequentia: *Si qua mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit, & ipse vir ipsius hominem se defendendo occiderit, & hoc probare potest, ille vir potest ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam accipiat.* Quodsi itaque textum genuino suo nitori restituamus, potius pro nostra sententia facit, constituens, totali divortio locum esse. Conf. Bruckner, in *Decis. Matrimon. c. 18. n. 20.* ubi ex Reginone Prumiensi de disciplin. Eccles. lib. 2. §. 17. eandem corruptionem demonstrat.

Respondetur
dubio penult
& ultimo.

§. XLVIII.

Atque ira, ni fallor hactenus evictum dedimus, ob insidias vitæ structas posse agi ad totale divortium. Cum vero hodie non amplius privata autoritate suscipiantur divortia, hinc quoque hoc casu Judicis competentis requiritur cognitio & sententia. Vid. Carpzov. in *Praæt. Crimin. p. 2. qu. 58. n. 20.* Bruckner. in *Decis. Matrim. c. 18. n. 22.*

Quid hoc ca-
si circa tora-
le divortium
requiratur

F 3

& qui-

& quidem ante omnia conjugi agenti in hoc casu probatio insidiarum & sœvitiarum incumbit. Rol. a Valle Vol. 3. Consil. 27. n. 2. Heeser in Loc. Commun. de bonorum Commun. p. 2. c. 16. n. 233. Et cum in hac materia insidia soleant fieri remotis arbitris, hinc indicia etiam sufficiunt, & faciliiores probationes admittuntur. Heeser. cit. loc. Quæcumque autem indicia probant veneficium, ex iisdem etiam insidia inferri possunt, veluti si suspecta persona venenum emerit, si veneficium minata fuerit, si cum conjugi innocentie inimicitias capitales gesserit, si reapse jam venenum cibis miscuerit. vid. art. 37. Consil. Crim. Car. ibique Daniel Classen. Probatis itaque insidiis non tantum divortium concedendum, sed etiam insuper pars nocens ad Judicem secularem remittenda, ut debitam nocenti poenam infligat, qua de re cautum in Ordin. Consilior. March. tit. 69. in f. ita: Besindn Sie aber/dass das Weib ihrem Manne/oder der Mann seinem Weib mit Gifft/ oder in and're Wege nach seinen oder ihren Leben gestanden/ und solches würde beweisen/ oder es wären gnugsame indicia oder Vermuthungen darzu vorhanden/sollen die Assessores solches der Weltlichen Obrigkeit/da die Beklagten gesessen/darinne verindge des Heil. Reichs Weiliche Halsz-Gerichts-Ordnung/ und wie Recht zuverfahren/auslegen.

§. XLIX.

Requiritur itaque quoad probationem, ut ostendatur, realiter insidias fuisse vitæ alterius conjugis structas, quod contingit non tantum eo in casu, si ab ipso conjugi, ejus consilio & ope, vel conjugi instigante ab alio structæ alterius vitæ insidia reperiantur: sed etiam, si sciat uxor mariti sui vitam sub anticipi harere, neque indicet periculum, neque studeat imminens periculum propulsare, sed dolo malo taciturnitate sua insidias promoveat. Brouwer dejure

Remittenda
pars nocens
ad judicem
secularem
secularem
punienda.

Requiritur
insidiarum
vita structar
realis proba
tio auctoris,

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

47

de jure connub. l. 2. c. 29. n. 11. Nam & in mortalibus rei criminum habentur non tantum illi, qui suas manus delicto accommodarunt, sed etiam qui alio modo concurrerunt ad effectum. Vid. Dn. Præses in *diss. de Imput. fact. alien. c. 1.* Pufendorff. *de I. N. & G. lib. I. c. 5. §. ult.* Quæritur vero an metus struendarum insidiarum vitæ, si non vanus sit, sed talis, qui in constantem hominem cadere possit, hic sufficiat ad dissolutionem matrimonii totalem? Evidem facile largimur Brouwero *cit. loc.* metum hunc justum esse ad impetrandam separationem quoad thorum & mensam. Verum ut etiam ad totalem dissolutionem deveniri possit, quæstio altioris est indaginis. Puto tamen Judicem ex circumstantiis arbitrari debere, utrum innocentii conjugi satis consuli possit per cautionem, aut etiam separationem quoad thorum & mensam, an vero spes non super sit, no centem conjugem ad frugem redditum, quo casu melius est prævenire quam præveniri, & per totale divorcium insidias imminentes avertere, præsertim si capitalibus ini miciis accesserit denegatio debiti conjugalis, quod Dd. facilius admittunt. Vid. Nicolai *de divorc. c. 5. n. 26.*

S. L.
Debent autem insidiae esse structæ vitæ alterius con jugis. Aliud itaque asserendum esse puto de insidiis ab uxore mariti bonis vel honori structis, quo casu Richter. *Vol. I.* p. 5. *Conc. 17. num. 9.* quidem concedit separationem quoad thorum & mensam, id quod tamen non admittit Nicolai *de divorc. cap. 5. n. 34.* ob has causas 1) quod hoc nulla lege cautum sit. 2) quod tales insidiae aliis remedii legitimis averti possint, ut adeoque ad separationis remedium extreum & subsidiarium recurrendum non sit. Verum cum hoc casu non possit non capitalis inimicitia oriri, cum illam communiter arguant ex insidiis, bonis vel honori structis,

Justus metus
insidiarum
facit locum
divortii ple
ni.

Quo casu ju
dex sedulo
circumstanti
as ob servare
debet.

Aliæ vitæ, a
liæ bonorum
& honoris in
sidiae.

Ob insidias
honoris vel
bonor. potest
agi ad separ.
quoad thorū
& mensam.

DISP. DE DIVORTIO

48
 structis, Vid. Dn. Hoppius in *Diss. de Inimicit. capital.* & *Dd.*
 communiter ad §. II. *J. de Excus. tnt. vel curat.* & vero, ipso
 fatente Nicolai *cit. loc. n. 29.* separationem ob talem impla-
 cabilem inimicitiam concedendam, haec tenus si recte Rich-
 teri sententia intelligatur, non denegandam putarem se-
 parationem.

§. LI.

Utrobique locum esse divoratio, sive uxor marito,
 sive maritus uxori struxerit insidias. Quamvis enim quo-
 ad adulterium a marito commissum uxori recte denegetur
 actio ad petendum divorantium, ceu fusiis demonstravit
 Dn. Praes de *diss. Spon. al. Seet. V. n. 5.* tamen hic diversa
 adeat ratio. Interim videoas controverti etiam hoc inter
 Doctores, an si uxor insidias vita mariti struat, liceat huic
 divertere? *Dd.* hac de re in diversa abire notat Sanchez.
Iib. 10. diss. 18. n. 7. Qui negant, ducuntur textibus Juris
 Canonici, qui tantum loquuntur de marito uxori insidias
 struente. Et quamvis, inferunt, maritus & uxor sint cor-
 relativa, ac proinde quod dispositum in marito, censeri
 quoque videatur dispositum in uxore; id vero locum non
 habere, quoties utriusque correlativi non eadem adeat ra-
 tio. Esse autem diversitatis rationem putant, quia uxor
 nequit coercere virum, ipsumque punire, ac potest vir ip-
 sam uxorem. Verum haec dubia sunt de nihilo, & plane
 non evincunt, id quod evincere debebant. Nam non
 video rationem diversitatis in utroque casu, & idem favor
 securitatis vita utrobique militat, prasertim, cum & illa
 fundamenta, supra plenius excussa, in utroque casu locum
 habeant. Unde & Sanchez. *cit. loc. n. 8.* ipse fatetur non
 obligare matrimonium ad cohabitationem cum tanto vi-
 x discrime. *Quae ratio, inquit Sanchez, aque militat in*
 utr. g.

OB INSIDIAS VITÆ STRUCTAS.

49

utroque conjugi, cum alter vita alterius insidiatur, nec aliter coerceri potest nisi divortio factio. Et quamvis textus tantum disponant de mariti fævitia, non tamen inde evincitur, eos solum ad illum casum esse restringendos, præser- tim cum expresserint casum communiorem, & uti ple- rumque accidere solet.

§. LII.

Concludimus itaque divortium plenum & omnimo- Conclusio
dum recte decerni posse a Judice ob insidiias vitæ structas,
& si id obtinuerimus, recte quoque huic præsenti disputa-
tioni nostræ colophonem imponimus, & hic pedem figi-
mus, consili & facilius nos excusaturn iri, quod hæc mate-
ria specialis multæ sterilitati sit obnoxia, & a non paucis
Dd. minus accurate pro dignitate sua excusa, adeoque plu-
ribus involuta difficultatibus. Interim vero candori Tuo
& benevolæ censuræ, Lector humanissime, hæc omnia
committimus, quæ de hac materia ediscerere contigit,
persuasi, ut ea æqui bonique consulturus, & sententiaæ u-
triusque fundamenta non ex præjudicio autoritatis, sed ex
veris suis ponderibus sis æstimaturus, inde Tibi sine dubio
apparebit, cuinam sententiaæ magis sit accedendum. Quod
restat, D. O. M, a quo nihil omnium, quæ usquam fiunt,
esse potest absconditum, gratias agimus immortales pro
clementissima studiorum direktione, & gratia nobis hac
vice largissime concessa; Adsit porro nobis, & ut omnia
in Nominis sui gloriam, proximi, patriæ-
que vergant incremen-
tum, faxit.

S. D. G.

G

Si



Si mea vota Tuis possunt superaddere
rebus
Auxilium, facilesque vias, & Carmina
nostra
Tantorum poterunt censeri causa bono-
rum :
Accipe non ficti, quæ carmina dantur,
Amici,
Accipe votorum, quæ possumus edere,
summam,
Ut divina Tuas moderetur gratia curas,
Et vires, animumque pios inspiret ad au-
sus.

Hicce

*Doctissimo Dn. Memmigero egregium eruditio-
nis specimen edenti, adfectum suum
testabatur*

PRÆSES.

Sic-

Siccine dissolvunt Doctores vincula ju-
ris,

Qui sic conjugii vincula sancta ligant?
Nonne favore suo gaudet conjunctio fir-
ma,

Cui Romana adeo jura favere volunt!
Sed res sat salva est. Tu firmas vincula
juris

Conjugium solvens quod fovet infidias.
Appludo merito. Conjungant vota pre-
césque

Omnes: Sic tandem præmia digna
feres.

*Ita Nobilissimo pariter & Doctissimo dispu-
tationis Autori gratulationis ergo ap-
plaudere voluit*

JUSTUS HENNINGUS Böhmer/L.
Prof. Jur. Extraord.

TU, licet es minimè laudis studiosior;
ecce
Nomen Pieridum ponis in arce Tuum.
Scilicet

Scilicet hoc decus est laudis sub munere
TANTI.


Præmia doctrinæ commeruisse DUCIS.
Ingenium, quid enim jaçem? quo nobile
monstras

Atq; laboratum mentis acumen adeſt.
Sic Parnassei Tu celsa cacumina montis
Scandes & meritis digna brabea feres.
Gratulor, i tantæ dignissimus incola terræ,
Vade bonis avibus, non periturus ho-
nos!

*Clarissimo Domino Memmingero,
de divortio propter insidias vite struetas eruditè
disputanti congratulabatur*

GUILIELMUS T. STEMPPEL.
J. C.







94 A 7358



TA-DOL
nur 3. Stere verhindert

Vd 17





2. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
De
**DIVORTIO
PROPTER INSIDIAS
VITÆ STRUCTAS,**

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO IVVENTUTIS PRINCIPE,
DN.
FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS BRAN-
DENBVRGICI HEREDE, ac reliqua,
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
DN. SAMUELE STRYKIO,
REGIÆ MAJESTATIS BORUSSICÆ CONSILIARIO INTIMO,
PROFESSORE PRIMARIO ET FACULTATIS JURI-
DICÆ ORDINARIO,
PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO DEVENERANDO,
IN AUDITORIO MAJORI
Die Maji Anno O. R. MDCCLII.
Publico Eruditorum examini submittit

A U T O R
ESAIAS PAULUS MEMMINGERUS,
Ratisbonensis.

Hale, Typis CHRISTOPHORI ANDREÆ ZEITLERI. Acad. Typ.